R. NEUHUSII. II. IC. EPISTOLARUM FAMILIARUM LIB.1. CUI...

Reinerius Neuhusius

Digitized by Google

6
39-d
28

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
35 B
44

ibliotheca
Coll. Rom.
et. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

D. D. D.

PRAETORI,

CONSVLIBVS,

&

SENATORIBVS,

Illuſtris Reipublicæ

ALCMARIENSIS,

Opes, Gloriam, Felicitatem
precatur

Reinerus Neuhuſius *I.V.D.*
& Alcm. Rect.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

I. LIPSIVS.

Summum Solatium, & utiliſſimum Humanæ vitæ Inſtrumentum,

EPISTOLÆ.

Digitized by Google

Nobiliſſimi, Prudentiſſimi

VIRI,

MECOENATES HONORANDI.

OFfero Vobis Animi noſtri indicem EPISTOLAS: quas ſub Veſtro Præſidio ac Tutela in publicum prodire volui. Recens & vetus hic meus fœtus, quem uno tamen faſciculo, iiſdemque quaſi faſciis concluſi: verè Geminos, ore, colore, lineamentis. Ad amuſſim genus & Parentem ſuum referunt, non alio mentis habitu ab Apelle aliquo, aut Liſyppo repræſentandum. Stylus animi effigies eſt; *nullaque ex re magis natura cujuſque & certa indoles elucet, quàm ex Epiſtola*, teſte Demetrio. Quod ubique penè intendi, ne curva aut ſcopuloſa dictio uſquam offendat: cum animus mihi, & interna illa mens ſic pura & puta facilitas. *Summum in ſermone vitium eſt, non ſolùm capi, ſed etiam ægrè capi*, optimè ait Lipſius. Vbi ſi fucus, ſi pigmentum accedat, perdit gratiam & Venerem Epiſtola. Quæ tantò eſt nitidior politiorque, quantò clarius Amici indolem & affectum exſculpſit.

Cæterùm, magna difficultas ad Epiſtolarem ſermonem: qui totus alacer, vivus, & erectus eſſe debet, ſuumque præ aliis tenorem, & rationum momenta poſtulat. Perperàm illi de Cicerone intelligunt, *Epiſtolas debere*

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMAN.
Digitized by Google

bere hallucinari, & quotidianis verbis contexi. Ad Oratoris hoc fit diſcrimen: qui dicendi Majeſtate, & virili verborum pompa utitur, ad commovendos inflammandoſque affectus. Epiſtola non ſic gravi incedit cothurno. Dictio tamen decens, elegans, & venuſta erit, erudito quodam ſale & lepore conſperſa. Citra ſententiarum amplitudinem: quæ in theatro & in roſtris, ad perſuadendum eſt neceſſaria. Magis ſucco & ſanguine hic opus, quàm toris & lacertis copioſæ Eloquentiæ. De Epiſtolarum contextu tam multa juventuti condas cudaſque præcepta, fruſtra eſt. Vſus & exercitatio, quicquid rude aut aſperum, facilè emendat. Nunquam circumſpicienti ingenio deeſt materies, in quâ ſtylum & famam exerceat. Licet aliter Magnus iterum Lipſius: qui ſcribi Epiſtolas negat, *niſi argumento concepto, & mente*, ut ſic dicam, *tumente.* Sed publica & perſonas ſpectat, à quibus ille præ cæteris campum & occaſionem habuit. Nullus in toto orbe uſquam penè angulus; vix ora aut regio: quam non ſua, ut ſic dicam, ingenii penna luſtravit. Cui Fato & Felicitati, in tot Hominum morumque diverſo ſub cælo, contemplatione, principem miniſtravit cauſam illa utilis peregrinatio. Vnde tantæ amicitiæ & neceſſitudines Clariſſimorum Virorum: qui Literarum illis Centuriis aſſiduè ſupplementum ſcripsêre. Nos in anguſtiore theatro ſumus,

uni

Digitized by Google

uni ſolique Belgio incluſi. Nec ambitio ſic nos habet, ut Gallos aut Italos ſub notitiam & acumen noſtrum vocemus. Satis magnum mihi curriculum eſtis BATAVI, & Tu, mea FRISIA: ubi Literarum abundè nobis materies & amicitia prognaſcitur.

Quibus Auſpiciis, Illuſtres DOMINI. Hoc EPISTOLARUM Opuſculum Illuſtri Veſtro Nomini, Æternitatis quaſi Templo, inſertum ac appenſum volo. Quorum quiſque, ſive fumoſas Familiæ veſtræ Imagines, ſive eruditas excellenteſque animas intueor, rarum ſæculi noſtri Exemplum & Ornamentum exiſtitis. Ter felix ALCMARIA! Tali VIRORUM Quadrigâ. Felix Gymnaſium noſtrum; Felix Ego: cujus tempora in tantos MECOENATES, & Literarum verè AUGUSTOS inciderunt. Neque mirum, quod nunc Muſæ noſtræ à vetere clade ac tenebris egregiè in lucem nitantur: quando in ipſis Tribunalibus FAX illa Doctrinarum ſic pulchrè accenditur. Quare divinus Plato, *beatam dixit Remp. ſi illam ſapientes regerent; aut illi, penes quos Imperii magnitudo, omne ſuum ſtudium in Doctrina ac Sapientia collocarent.* Gratulor universæ Reipublicæ, gratulor; & quantum per vota aſſequi poſſum, precor Te Opt. Max. DEUS, STATOR Æterne; ut Salutis publicæ Salus, Templi Religio, Fori Fides, Scholæ noſtræ Pubes; Hoc Tali VIRORUM

 aucta

aucta præſidio, diutiſſimè in Fama, Flore & Honore ſubſiſtant.

Dabam Alcmariæ Batavorum Kal. Octob. Anno Aeræ Chriſtianæ M. D. CXXXIX. Aetatis XXXII.

Illuſtres DOMINI,

Veſtræ Nobilitati, Prudentiæ, Dignitati

Deditiſſimus

REINERVS NEVHVSIVS I.V.D.
& in Illuſtri Palladio Alcmarienſi Rector.

Clariſſi-

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,
D. REINERO NEVHVSIO, IC.
& Rectori Sch. Alcm. digniſſimo.

REerum benignus conditor omnium,
Humana formans corpora, ſpiritu
Afflavit unumquodque vivo
Pro modulo ſibi congruente.
Omnes eòdem non homines tamen
Natura ducit, quiſque ſuos habet
Servatque mores, ſe, tenentem
Vota animi, reputans beatum.
Hic curat omni quærere opes modo,
Summumque credit divitias bonum:
Crudi vel ipſas ex Averni
Faucibus accumulare pronus.
Inſana multos ambitio tenet
Ampliſque adhinnit ſemper honoribus,
Interque magnates haberi
Optat, & obſequio colendos.
Affectat ille aſt, Eloquii parens
Scribi diſertus, nominis ultimas
Poſſe, & per orbis nationes
Conſpicua volitare fama.
At Tu, revinxit cui viridi comam
Aſtræa Lauro, cui Iuveni genas,
Et labra Gratiæ rigarunt
Caſtalio nitidæ liquore;
In hoc labores & ſtudium locas,
Prodeſſe poſſis ut patriæ, & bonis
Communicans cunctis receptas
Ingenii Geniique dotes.

I. à TEYLINGEN.

In elegantes Epiſtolas

D. REINERI NEVHVSI, IC.
Gymnaſii Alcmariani Rectoris.

O Sacer interpres Themidis, Phœbique Sacerdos,
Officio longè celſior ipſe tuo.
Non hoc ingenium titulo ſe continet iſto;
Nec premitur ludo tanta Minerva ſuo:
Pro pueris magni populos nunc erudit orbis:
Hos auditores ſuſcitat illa ſibi.
Pectora tot formanda tibi, totq; ora, tot aures:
In tot divideris ſcrinia, totque manus.
Hic tuus eſt ludus: tantum tibi panditur æquor;
Et patet in laudes area tanta tuas.
Hanc ſibi deberi tua jactat epiſtola laudem,
Quod didicit mundus cultius ipſe loqui.

I. FORESTVS.

In Epiſtolas Familiares

Clariſſimi Viri,

D. REINERI NEVHVSI,
Rect. Sch. Alcm. *vigilantiſſimi ac digniſſimi.*

MAgne Vir, & Friſiæ nuper fax ſplendida terræ,
Cujus Apollineum Muſa laceſſit ebur;
Qui Cyrrham colis & plena Permeſſide Belgas
Proluis, & toto das Helicone frui:

Mutaſti

Mutaſti cum gente ſolum, cum ſidere terras,
Et propior Batavis vis habitare meis.
Ingenio, quod grande geris, non una voluptas
Sufficit, & latè mentis arena patet.
Iam teneræ Rector moderaris fræna juventæ,
Barbarieſque tuo diſcit ab ore loqui.
Auſpice te prætexta ſapit, geſtitque renaſci
Almerius veſtra ſedulitate puer.
Iam ſua, NEVHVSI, *pandunt tibi templa Camœnæ,*
Et Clariis vates cingeris ordinibus.
Iam, quàm blanda ſuo Pylades perſcribat Oreſti,
Pirithouſque ſuum Theſea ſcriptor amet,
Voce ſimul calamoq; doces. Stat Litera teſtis
Federis, & fidei pandit operta ſuæ.
Te duce, felices animis ſociantur amici,
Quoſq; locus dirimit, jungit amantis amor.
Te duce, facundi permutant verba ſodales,
Diſsimiliſq; licet dextera, ſentit idem.
Debet amor Tibi, & indomitæ cultura juventæ,
Debet inoffenſam Magnus Apollo chelyn.
Audiat hoc Batavus, Batavoque hoc dicat: Athenas,
Atq; aliam Almeriis ſurgere Phocin aquis.

C. BARLÆVS.

 Clariſ-

Clariſsimo Viro,

D. REINERO NEVHVSIO,
I. V. D. Gymnaſiarchæ Alcmariano.

HIc ſcatet Ingenii pulcher de flumine rivus,
Aoniis fæcundus aquis; ſic Caſtalis unda
In Batavos redit, & Latialia regna reſurgunt.
Nunc ubi Pegaſidum per amœna vireta Sorores
Demulcent animos; pubemq; inflammat amore
Dux authorq; novus: puro qui nectare Muſas
Edocet, & Charitum deſtillat ab ore lepores.
NEVHVSIVS *varia decoravit laude Iuventam,*
Mille modis ornat ſacri plantaria fundi.
Lilia miſta roſis hinc carpit Apollinis infans,
Semina falce legunt animo linguaque diſerti.
Ambroſio teneram paſcendo lacte Iuventam,
Chare Deo, Cœli, Patriæ celebrabis honorem.

A. SNELLIVS. Eccleſiaſtes
Alcm. & Med. D.

R. NEV-

EPISTOLARVM FAMILIARIVM, LIB. I.

BIBLIOTECA ROM. VITTORIO EMA

Nobiliſſimo Ampliſſimo,

D. ADAMO FORESTO, Med.D.Cl. Conſuli, & Rei Numariæ Adminiſtro primario, *Mecœnati ſuo.*

N*Obiliſsime* DOMINE, Hodie, ſi volet Deus, ſolennis Alcmariæ Triumphus: cujus læta memoria, juxta noſtros natales, merito in honore & amore habenda. Nam, teſte Cicerone, *non minus nobis jucundi ſunt ii dies, quibus conſervamur, quàm illi quibus naſcimur: Salutis enim certa notitia, naſcendi incerta conditio.* Et certè, tantò feliciores nunc ſumus, quantò magis cum antiquis temporibus rem præſentem conferimus: cum omnia ærumnis ac miſeriis ſquallebant; cum Chriſtianorum nomen penè te tabulis & memoria exſtinctum. Nunc verò Liberatæ Eccleſiæ Novum quaſi ſidus per omne Belgium relucet. Adeſt optatus hic dies, quo gladios in Remp. diſtrictos retudimus, quo ſicam Hiſpanicæ ſervitutis de manibus extorſimus. Hujus obſidionis, per hoſce dies & otium, legi eruditiſſimũ libellum Cl.D. Nannii Foreſti: qui ejus rei memoriã accuratè, & ad vivum expreſſit; ſtylo verè hiſtorico, & cum lenitate quadam æquabili ac profluente. Cujus primùm mihi copiam fecit Nob.Cos. Teylingius: ſine quo Ductore, & manu, ut ſic dicam, auxiliari, planè difficile fuiſſet, faciem illam caſtrenſem Oratorio aliquo ſplendore exornare. Qui ipſe, quod miror, in tanta ætate ac dignitate, totam rei geſtæ memoriam Poëtico cothurno deſcripſit. Nos de pulpito Scholaſtico

nunc Claſſicum canemus, & verborum aliquot tonitrua ac tela in hoſtem emittemus. Manibus armiſque diverſi, animis iidem. Non minus nos ultores Albanæ crudelitatis à Muſarum propugnaculis, quàm Majores noſtri à vallo & mœnibus.

Invadunt illi ſtrictis mucronibus Hoſtem;
Nos fando gerimus bellum, linguaq; ſecurim
Stringimus audaces; nec ſegnius arma tenemus
Pro Patriâ, fidi Belgarum gentis alumni.

Et quoniam ſpes recentis Victoriæ nos fallit, ad antiqua nunc revertimur, læta ac ſolennia. Quandoquidem is dies, quo reſtituta Vobis libertas, pro natalitio, inquam, habendus. Addam te Antichriſtianæ crudelitatis ſatellitibus, Hiſpano & Cæſare, quos ſuo quidem merito dignis contumeliis convitiiſque inſectamur. Pro Ingenio tamen Diſcipulorum, & per adjutricem præceptoris manum, quantùm fas illis ſuccurrere. Nuda omnis peroratio, fruſtraque ſuſcepti labores, ſi muta tantum ſubſellia, &, quod dici ſolet, pulchella ſine cerebro capita inutilem nobis aurem accommodent. Tu, Nobil. Vir. qui in illa præſtantium Ingeniorum laude ita emines,

Ut puro nocturna renidet
Luna mari, Gnydiuſve Gyges.

Tu, inquam, ſi ſolus in Orcheſtra locum teneres, ſatis magnum tamen inflammandæ animandæque Iuventuti nobis theatrum.

Hiſpanas acies, crudeliaq; arma Philippi,
Et longè Batavis projectum finibus hoſtem
Dicemus. *Tu nunc votis adſueſce vocari,*
Et Faſces ſubmitte tuos: Alcmaria quondam
Victa minus, Tanto creſcet ſub Iudice major.

Dabam Alcmariæ Batavorum 1639. Non. Oct.

Nobi-

Nobiliſsimo Ampliſsimo,

D. IACOBO A TEYLINGEN, I.V. D. Conſuli & Scholarchæ, Patrono ſuo.

NObiliſſime VIR, In propinquo ſunt Civitatis noſtræ Triumphalia, quando ſolemus de ejus liberatione jucundam celebrare memoriam. Duxi noſtrarum eſſe partium artiumque, publicam quoque lætitiam, Muſa teſte, in Gymnaſio noſtro exercere: ne ſoli inter lætos Civium applauſus, ſine gaudio, & mentis quodam tripudio, cum injuria ſileamus. Nam præcipuè Liberalium Ingeniorum, & bonarum Artium intereſt, pace an bello Reſpublica adminiſtretur. Hoc tantillum difficultatis me habet, quod plurima in hac obſidione tunc geſta, quæ planè me fugiant. Quæ Vos aut ipſi, pars magna illorum, vidiſtis; aut à Parentum fide & colloquiis in prompta memoria habetis. Nec dubium, illorum aperta Lux & Veritas, quin in illuſtri Veſtra Familia tabulis ſcriptiſque teneatur. Cum & Ipſe Vates, circa illam materiem magna cum laude ſis verſatus. Cupiam, Ampliſſime Domine, aliquantulum mihi lucis in rem & caliginem meam affundi. Si volet Deus, addam quoque de Eccleſiæ Sectore AntiChriſto, & præſente apud Belgas rerum nunc ſtatu. Vtinam! ſic nobis benignè de cælo eveniat, ut olim illi triumpho nunc novum liceat attexere.

Heſperidum canere inferias; Scortiq́ ruinam
Tarpeiæ Babylonis.

Pacis ille rumor ne monſtri quid alat, prudenter providendum. Fateor, ſplendidum illud nomen, meritò amandum; ſed ſi fuco & pigmentis careat: quale ab Hiſpano fruſtra exſpectemus Belgæ. Non alienum ab illa gente, quando quid ex re ſua viderint, nos ad pacem invitent; oblata ad do-

lum

lum occaſione inopinatò nos obruant. Deus, ſpero, noſtri curam geret; Deus ſua Providentia æternoque conſilio res noſtras ad ſalutem tuebitur. Hoc voveo, & valere quoque Te jubeo, Nobiliſſime, Ampliſſime D. Conſul:

Flos Batavûm Populique Decus.

Dabam Alcmariæ in Muſeo meo: Kal. Auguſti 1639.

Nobiliſsimo, Ampliſsimo,

D. THOMAE AB EGMOND A NIEVBVRCH, Conſuli, Mecœnati ſuo.

NObiliſsime VIR, Quod lætor, animam reddidiſti humaniſſimis tuis literis, de reviviſcente & victrice iterum Germania. Vtinam! firmiore interprete divulget hoc fama: ne nimis in ſpem bonam, more noſtri ingenii, creduli ac proclives. Facit hoc in Patriam pius affectus: quam omnes illæſam, & extra periculi telum cupimus: de qua ſinguli jucunda & ſecunda, quàm triſtia & ſiniſtra audire ſtudemus. Satis diu prô dolor! inter Carniſicum manus & minas afflicta hæſit Eccleſia; ſatis per Orbem terrarum orba ſquallenſq; circumerravit, ut non immeritò cum Poëta exclamet:

Quis non Bojorum ſanguine pinguior
Campus ſepulchris impia prælia
Teſtatur, auditumq́ Medis
Teutonicæ ſonitum ruinæ?

A tam læto tamen rumore, Vir Nobiliſſime, paullùm ſe recolligit mærens Eccleſia, nunc ſpe nova & ſolatio quodam ſuffulta. Sicuti poſt gravem tempeſtatem, & periculoſam pelagi jactationem gratiſſima navigantibus ſunt ſidera, Caſtor & Pollux. Faxit Author Vindexque Deus, ne cæca & inanis ſit exſpectatio, quam pro ſalute publica ſemel ſuſcepimus.

Ut meritam Babylon ſubeat Tarpeia ruinam,

Digitized by Google

Et pœnam Gens fœda luat. Romana fatiſcant
Mœnia, & inviſam Thaidem Styx atra fatiget.
At dilecta ſuum caput inter nubila condat
Sponſa Dei; latoſq; iterum teſtata triumphos
Combibat æternum Divinæ pacis amorem.

Hæc ad Læta Literarum tuarum, Nobiliſſime Vir: quibus ſingulariè me affeciſti, cum publicè, tum privatim. Supereſt, de FILIOLO, Fidei noſtræ concredito, verbulum hîc addam. In quo ſi indolem & naturam ſpectes, bonam pollicetur frugem, etſi in herba adhuc; ſi laborem & ſtudia, creſcente ætate, judicio, & illa creſcent:

Occulto velut arbor ævo.

Sic tua, precor, Fama & Familia, Nobiliſſime, Spectatiſſime Domine Conſul, Mecœnas honorande. Vale. *Ex Muſeo Batavo Alcmariæ* VIII. *Kal. Junias* 1639.

Nobiliſs. Conſultiſsimo,

D. MATTHIÆ AB OUDENSTEYN,
I.V.D. Nuper Conſuli, nunc in Senatu Borealis Holland. Præſidi.

NObiliſſime VIR, Si nunc à publico Tibi negotio, & Clientum turba ſit otium, quæſo, noſtram hodie juventutem Muſaſque præſentia tua cohoneſtes. Quæ magis in Virtutem erecta ac vehemens, ſi Doctorum adjuvante calculo, ad palmam & præmium decurrat. Secus, friget rigetque omnis Honeſti ſudor, ſi ſine laude ac gloria, nemine applaudente Genius iſte intenditur. Invenies in illa corona nobilem Adoleſcentem, Fratris tui Filium: quem plus, tacito fortaſſe nutu, ad nervos & fiduciam Oratoriam impelles, quàm omnis aſpectus cæterorum. Hoc de induſtria à me factum, quod minus natura rigido Stoicam perſonam impoſuerim, ut affectuum illo moderamine magis exultaret Oratio. Cum præcipuum

puum Oratoris ſit Officium, benè ornateque dicendo populi favorem gratiamque ſibi demereri. *Actio in dicendo*, ait Tullius, *una dominatur: ſine hac ſummus Orator eſſe in numero nullo poteſt: mediocris hac inſtructus, ſummos ſæpè ſuperavit.* Adeſdum, Vir Nobiliſſime, & ſtimulum adde animoſæ juventuti. Tunc priſcos illos, Scævolam aut Roſcium de ſepulchris reſurrexiſſe putabimus, quando Civitatis noſtræ Lumina Clariſſimos Oudeſtenios, Teylingios, Foreſtos hic oculis coram intuebimur. Erit oblectamento utile exercitium; nec pudor, ſi Academiis ſit frequens. ubi quàm parum in illa arte & arena fiat, non parvam injuriam meretur. Sed revoco criticam illam falcem, & ad penſum ac palæſtram meam redeo: In quam, ut dixi, Te Spectatorem & Auditorem voco, invito. Te, præ cæteris, in Martio illo campo, abſit Bruti hic Genius, ex animo videre cupiam.

Cui Themis, & priſco credunt ſe jure Quirites.
Quem Faſces Virtusq́; beant, & Fama potenti
Inſeruit Batavûm Genti. Qui nobile Muſis
Præſidium, noſtroq́; libens applaudis amori.

Cæterùm, Valere longùm Te jubeo, Nobil. Vir, Reipublicæ ac Literariæ Salutis bono. *Alcmariæ Batavorum* XVI. *Aprilis*. 1639.

Gratu-

Gratulatio ad Nobiliſs. & Præſtantiſſimum,

D. IOHANNEM A NIEVBVRCH, LL.Cand. *Divina providentia* Hoſtium Duinkerkanorum manibus elapſum.

SIc Tibi, NIEVBVRGI, *generoſi pectoris ignem*
Elicuit virtus. Armatam Pallada miles
Sic quoq; inermis agis: Phœbo Martiq; Satelles;
Non uno mucrone potens. Sic vincula palmis
Avertit divina manus; dux æthere ſummo
Adſtitit, & trepida ſolvit formidine mentem.
Viciſti ſic arte dolos, quos more Pelaſgo
Bellator callet Morinus: ſicut impete pulchro
Rumpit aper tereteſq; plagas, & gaudet aprico;
Aut Cerva infelix, liquefacto tempora plumbo,
Læſa fugit manibus. Quantùm laudabilis illa
Vis animi caſuſq; fuit! Mirabitur ætas
Altera. Prædatrix poſſet Duinkerka dolere,
Hoc facinus non eſſe ſuum. Sic Clœlia quondam
Exemplo par Ipſa Tibi; ſic Coclite Tybris
Obſtupuit; tantiſq; addis miracula rebus.
Quod durum, meminiſſe juvat; quantumq; tuliſti,
Hoc Fama compenſat honos. Si Gallia votis
Excidit, in Laudes Belgarum gloria ſervit.
Non tanti Liger & Rhodanus, non Sequana tanti;
Aut fulvum trânaſſe Tagum. Sunt Littora nobis
AVRIACI; *hic dives pandit ſua cornua Rhenus.*
Hic quoq; Romanas reſonant Capitolia Muſas,
Et Themidi delubra patent. Hæc area reſtat
In Laurum Laudeſq; tuas, Generoſa Batavûm
Progenies. Hic vera pia ſolatia Matri
Invenies; hoc ſacra probant Oracula ſignis.

Kal. Aug. 1639.

Clariſ-

Digitized by Google

Clariſſimo Viro,

D. REINERO NEVHVSIO, IC.
Scholæ Alcmarianæ Rectori
C. BARLÆVS S.P.D.

IGnoſce, Doctiſſime Neuhuſi, quod diutius exſpectationem tuam moratus fuerim. Ferias egimus, & ab amicis in vicinos vobis agros invitati, valetudini quæſivimus præſidia, ſtudiis diverticulum. Amat tenella ætas lectionum ſuarum horas diffindere ludicro, quod illi in pretio eſt. Nec noſtra, hoc eſt rectorum & profeſſorum gravitas ab iſtis vicibus abhorret. Domum heri ex Bameſtra agro reverſus, revocavi ad animum promiſſi fidem, quâ me tibi obſtrinxi. Petiiſti Carmen per literas, petiiſti coram, & humanitatem tuam ac benevolentiam erga me explicuiſti candidè & prolixe. Næ, à Gratiis omnibus alienus ſim, ſi amico, ſi ſtudiorum conſorti, ſi viro ad omnem elegantiam & animi cultum facto parabilem iſtam annonam negaverim. Habe diſticha aliquot, non meritorum tuorum, ac laudum digna monumenta, ſed mei erga te affectus pignus ἀκίβδηλον. Scriptis tuis accommodavi Orationem, & eorum memini, quæ ſcripſiſti & ſcribis indies non ſine genio & Venere. Tranſiiſti à Friſiis ad Friſios, à majoribus ad minores. Faxit Deus Opt. Max. ut minores hi majoris tibi famæ argumentum ſubminiſtrent, & deſertis calcatiſque non uno loco Muſis hoſpitium præbeant, quale totis votis exoptas. Vale Vir eruditiſſime & mihi amiciſſime, & me, quem totum poſſides, ama. Tibi, Vxori dilectiſſimæ, totique familiæ tuæ faveat rerum noſtrarum ſummus arbiter. Amſtelod. XXVI. Septemb. CIↃ IↃCXXXIX.

Clariſ-

Clariſsimo Viro,

D. IOANNI ANSTA,
Med. D. Amico ſingulari.

Harlingam.

CLariſ. Vir, *Amice Chariſſime;* Literas tuas etſi ſerò, ſeriò tamen illas ſum exoſculatus. Tum, quod tuæ valetudinis jucundam nobis auram adſpirent; tum, quod noſtri memoriam nedum ad maritimam illic ſtationem depoſuerint. Hoc unum ſiniſtrè me habuit, *Clariſ. Vir*, quod nimis in longùm literas tam lætas ſuſpendiſti: quæ nos diu ante tota, ut ſic dicam, gaudiorum mole obruiſſent. Meliuſculè tamen, ac in bonam partem interpretor, quod, poſt longam quaſi hyemem, & affectus aliquod deliquium, tanto majore amœnitate nos perfuderis. Sic certò evênit; cum penè ad criticam amicorum normam officium tuum expenderem, bono omine occurrunt Epiſtolę: quibus omnem animo meo ſcrupulum exemiſti. Et ſi aliquid fortaſſe, in ſuſpicionem tam maligni magnique ſilentii, imbibiſſem, hoc totum deſiderata ſcriptione radicitus evulſiſti. Quæ tali argumento, ut niſi ſub ſacra Muſarum fide, & amicitiæ illo Myſterio ſiat concepta ac nata. Perge iſthoc affectu, tuo Neuhuſio Te probare: qui in intimis medullis te tenet; qui nihil in præcordiis circumfert, quod non in ſinum tuum liberè profundat. novi candorem, novi amorem tuum. Etiam illic loci, ubi purgare nos poſſis à præpoſtero quorundam judicio; qui planè alienum à veritate de nobis ſapiunt. Quanquam in amicâ causâ, & ad aram amabilis Hymenæi. Quaſi non ſatis nos de amaritudinis illo poculo bibiſſemus, ut etiam in novos nos fluctus ingurgitemus. Optima mihi eſt conſcientia ad illam rem, cui, teſtis mihi Deus, nunquam,

BIBLIOTECA NA... ROMA

nunquam prora nec puppis fui. Sic ad illa ſecreta cæcus, quaſi talpa, aut in utero recens fætus. Perge, Vir Cl. in hominem ingenuum ingenuus; in cauſam juſtam & religioſam adjutabilis.

Diſperеam, ſi quid cauſa pudoris habet.
Ingenui nobis mores, placet unica Virtus;
Mens mihi nullius conſcia dedecoris.

Quod ſupereſt, mi Anſta, Ego & Boëthia mea ſalvere Vos ex animo jubemus, adde, cum Socero & amicis dilectiſſimis; *Scribebam Alcmariæ poſtrid. Non. Sept.* 1639.

MVSA ALCMARIENSIS,

Ad Ampliſſ. & Spectatiſſ. Virum,

D. IACOBVM A COREN, I. V. D. & Scholarcham.

Cum in primarium SENATOREM *eligeretur.* 1639.

PRudens SCHOLARCHA, *Flos Decuſque Virorum;*
Quem juxta ſuas Pallas amant Sorores,
Cui doctum indulget Themis leporem:
Omnis Te chorus, Te nobilis Iuventus,
Adorat unum. Ter & quater beata,
Felixque nimis, Tali Pubes Patrono!
Salve CORENI; *ſalve magne* SENATOR,
Non una Lauro Laudibuſque decore.
Cui nunc ASTRÆA *claros pandit honores,*
Et Faſces purpurei donat Senatus.
Infracti Catonis inſtar, irretortis
Qui Fas & Æquum Legibus miniſtras.
Duplex CORENIVM *Adorea ſequetur,*
Virtute parta: quod optimus SCHOLARCHA,
Audiatque ſemper Optimus SENATOR.

In Memo-

Digitized by Google

In Memoriam

Magni Iuriſconſulti, & per Friſiam SENATORIS ſummi,

D. IOANNIS DE SANDE.

HEu! nunc Fatorum ſæva Neceßitas
Victuro ſemper nomine SANDIVM
Perpetuis tumulavit umbris.
Qui plena quondam voce leporibus,
Inſtar Donelli, Iura Quiritium
Edocuit veteres Athenas.
Quo clarè functus munere, Patria
Illi Majeſtas pro merito obtulit
Præſidium columenq́ rerum.
Hic verè Numa, hic Scævola viſus eſt:
Qui vulgi errorem, criminaq́ expulit
Providus auxilio Senator.
Tot qui lites, & jurgia Civica
Legum vinclis compeſcuit Arbiter,
Grande Fori decus & Clientûm.
Quem cœlo pictor ſculpſit, & indicat
Formoſi vultus gratia, quid Viri
Interior Genius recondat.
Vileſcit formæ gloria; pectoris
Index fert annos, Ingenium & manet,
Corpore per cineres ſoluto:
Pennis Vir prudens permeat æthera,
Et cedro ſemper digna volumina
SANDIVS *in Friſiis loquetur.*

Illu-

Digitized by Google

Illuſtri Viro,

D. CASPARI BARLÆO,

Amico & Mecænati ſuo, S. P.

Amſtelodamum.

C*Lariſſime VIR*, Schola & Inſtitutio noſtra ad Te venit; ſed remiſſa & verecunda fronte, ut apud Iudicem& tribunal decet. Non tamen ſine animo & adminiculo bonæ ſpei. Cenſorem Te exſpectat amicum & ſincerum, magiſque edocendæ veritati Apellem, quàm errori excuſando Patronum. Fateor, ſub veſtro nutu & Capitolio, nos quoque parvum apud Batavos Literarum regnum tenemus. Magis in lucem & literas ituri, ſi porrò nos proritet & provocet in pulverem tuus ille favor & ſtimulus.

Ἀεὶ τοιοῦτοι πόλεμοι διώκοιεν.

Libens lubenſque veſtro principatui faſces noſtros ſubmitto, & incredibilis mihi voluptas, ſub hoc Heliconis Præfecto Togatæ militiæ nomen profiteri. Age, Vir Cl. quod tenello Vati, quod ætati noſtræ ad majus robur & famam conducere poſſit, benignè fac ac juva. Magnum erit Livori obſtaculum, ſi ab inclyto & excelſo *Barlæi* nomine aliquem meis laboribus ac Muſis clypeum prætendero.

—— Procul atra recedet
Invidia, atque aliò liventia lumina flectet.

Hîc ſileo & ſubſiſto, V. C. Seculi noſtri magnum Decus. Tu Perge φιλοῦντα ἀντιφιλεῖν, & tuis me ſemper annumera. *Ex Muſeo Alcm.* CIƆ IƆCXXXIX. *poſtrid. Id. Sept.*

Amplif-

Ampliſſimo Viro,

D. AHASVERO A VIERSEN, I. V. D.

Quæſtori Prov. & Syndico Leoverdienſi.

Leoverdiam.

A*Mpliſſime Vir*, Cum Venere & amoribus jam tibi negotium, Fori illo ſupercilio parum remiſſo. Et totus inter gaudia ac gratulationes, quod vortat benè Deus, nunc agis: ubi non tetricas aut difficile Edictum profitêre; ſed voces blandulas, mero melle & lepore ſtillantes. Non tamen pudet inter tot baſiationes, quod tuum cubile Vates nunc intrem, & Veſtro Nomini ac Nuptiis fauſta acclamem. Non alio ore, quàm par Amicæ & Atrio. Poëtarum eſt, rerum perſonas agere, & ſub aliena veſte veritatis corpus adumbrare. Verni nunc dies ſunt, quibus Venerem & oſcula adoras. *It juxta lateri Vates*: qui cum læta anni temperie lætos animi tui motus ac faces deſcribit. Et ſcio, meum tibi plectrum, inter tot chordas & ſymphonias gratum quoque fore. Precor, de cælo Deus vota mea ſecundat, & tua in nos bona voluntas perpetuò conſtanterque duret. Benè Vale Amice, & Mecænas honorande. *Harlingæ Friſ. poſtridie Kal. Apr.* 1637.

EPITHALAMIUM.

Aëre tam blando, Veriſque tepentibus auris
Quis non Idaliam Cyprida blandus amet?
Et ſua candidulis ſubmittat colla lacertis,
Proliferique ſerat ſemina læta Tori?
Ceſſit hyems, gelidæ cælo ceſſêre pruinæ:
Nunc alium Nobis ventilat aura Iovem.
Non Boreas Aquiloque truci circumvolat umbrâ,
Præcipiteſque Noti prælia fronte gerunt.
Pax habet Æoliam. Non claſſem triſtis Orion,
Arcturuſque ſuo ſidere turbat aquas.

Æquora tuta ſilent; taciteq; ſtrepentibus undis,
Rara procelloſam verberat aura ratem.
In ſua cum Geminis redierunt cornua Tauri,
Et lætos aperit Ver geniale ſinus.
Nunc terris ſua vita redit, cælique calore
Concipiunt animas pinguia rura ſuas.
Parturiunt Elementa ſimul. Naturaque rerum
Solvitur in fœtus luxurioſa novos.
Naïades hic, illic vitreas ad fluminis undas
Theſtylis in læto gramine paſcit oves.
Mollibus & Zephyris, gratiſſima Filia Veris,
Friſiacos pulchra veſte coronat agros.
Hæc inter reſonat Volucrum concentibus æther,
Et limoſa ſuis rana coaxat aquis.
Adſpicis, ut petulans Cytherea invitet Adonim,
Detineatque ſuum mollis Eliſa Virum?
Omnia prætendunt vitæ ſocialis amorem,
Et nihil eſt, cui non jam ſuus ardor ineſt.
Dic mihi, SPONSA, *tuos quid diſtulit hactenus ignes?*
Cur venit in venas tam tibi ſera Venus?
Quæ blandum ſic Dipſas anus diſſuaſit amorem,
Et tanto fecit corda rigêre gelu?
Dum ſua Triptolemus redimitus tempora ſertis
Præbet Amalthææ florea mella Capræ:
Et Ver eſt roſeum, virideſque imitata Napæas
Gramineo ducit ceſpite Nyſa choros.
Dum calet omnis Homo, noſtroque ardeſcimus igne,
Et ſequimur Venerem quiſque jugumq; ſuum:
Vſque adeone ferox ſolum calcare recuſes,
Quod cognatus Amor monſtrat & urget iter?
An Tibi VIERSENIVS *nondum inſpiraverat ignem,*
Miſcueratque tuis oſcula blanda genis?
Qui nunc flammigeris urit tua pectora telis,
Et te blanditiis brachioliſq; fovet.
VIERSENIVS *ſolùm rutilis tibi deditus aſtris:*
Solus, GEERSMA, *tuos dignus inire toros;*
Et tibi baſiolis tenerum penſare Pudorem;
Quod furor eſt, tantis non licuiſſe Procis.

VIER-

VIERSENIDEN *adamare docet tua* IiSCKIA *Virtus;*
VIERSENII *eſt Virtus,* IiSCKIA *Tu quod ames.*
Hic Tibi Vis & Flamma fuit : quo Conjuge poſſet
Ipſa ſuum Iuno diſsimulare Iovem.
Ille tibi vivum defudit in oſſa calorem,
Et primùm in thalamos Duxque comeſq; fuit.
Prima viam tentas illo Ductore per umbras,
Et ſolvis timidæ vincla Pudicitiæ.
Hoc ſecura mali, Leges nunc diſcis Amantûm;
Quicquid ſub tenebris noxq; toruſq; tegit.
Quas Virgo laudare ſoles, nunc oderis artes,
Perſona nimiùm diſpare ludit Hymen.
Vere novo blandos ſic, IiSCKIA, *concipis ignes,*
Et grave poſt frigus pectore tota cales.
Tota Cupidineis incendis corda favillis,
Et pateris centum viva volenſq; rogos.
VIERSENIO *dabis amplexus & candida colla,*
Et quodcunque tori poſtulat officium.
Non illo poteris noctes horrêre nivales,
Non longas hyemes Icarioſque Canes.
Purum nectar alit generoſo in pectore Virtus
VIERSENII: *Flammas viſque virilis habet.*
Hoc voluit Natura Parens ſub Iudice certum,
Quid valeat docto miſta lepore Venus.
Quid pudor & niveo poſsint in pectore Mores,
Et Pietas animi Relligioq; Fori.
Hic etiam, tua ſe virtus ubi tollat in altum
Invenit. Hîc illi Scena locuſque datur.
Militat in vitium, ſceleri contrarius armis
VIR *tuus. In vitium Miles & Uxor ades.*
Fortunati Ambo! quorum ſub fœdere blando
Liberior nobis aura Fideſque redit.
Fata Deuſq; ſinat, Vos, inter Theſſala Tempe,
Aurea VIERSENIÆ *ducite ſæcla Domus.*

Digitized by Google

Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Magnificis

Illuſt. Friſ. Ordd.

NOVEM-VIRIS,

Patriæ Patribus S. P.

Leoverdiam:

ILluſtres Domini, Felix illa Reſp. in quâ aut Principes philoſophantur, aut Philoſophi dominantur; Quod jure meritoque de veſtro Ordine, Illuſt. DOMINI, dicere poſſum: qui inter medias Bellorum flammas & civilium Diſcordiarū procellas, recto tamen clavo Remp. tam turbulentam moderamini. Quæ licet ſine Fato & latente quodam Numine non contingunt, Veſtræ tamen Prudentiæ, Ingenio, Conſiliis magnam felicitatis noſtræ gloriam debemus. In eo inprimis, Illuſt. DOMINI, à bonis omnibus ſumma ſemper laude prædicandi, quod hoc tam periculoſo tempore, inter ferrum & ignes, in ipſo penè ſanguine & cineribus ita ſalubrem de literarum ſtudiis cogitationem ſuſcipitis. Illuſtres DOMINI, tam eximius atque excellens in politiorem Literaturam affectus, multorum indies animos ac vota in cultum feliciter renaſcentis Doctrinæ ſtimulat, accendit. Parum abfuit, quin nuper, unà cum Reip. pace & ſalute, præclara Literarum ſtudia, ſicut olim Caligulæ, Caracallæ & Licinii temporibus, penitus exſtinguerentur. Quæ nunc, gratia Superis, divino favoris veſtri afflatu, quaſi recepta Libertatis anima reſpirare videntur. Quare non immeritò, Illuſtres DD. poſt ſolēnem Patriæ Triumphum, & reductas in antiquum ſplendorem Muſas, ornandis juvandiſque Literarum ſtudiis laborem & vigilias noſtras intendimus. Ego, Illuſtres DD. ne veſtra de me exſpectatio fruſtrà quicquam deſideret, neque toti ad maritimam

hîc

hic auram ſilere, aut ſegneſcere videamur; hoc qualecunque laboris mei opuſculum, ſub inclyto Nominis veſtri auſpicio, ad egregium juventutis noſtræ uſum, in publicam nunc lucem emitto. Neque dubito, quin ſerena ſatis fronte, ſub veſtra quoque degentem ditione Muſam noſtram Harlinganam ſitis accepturi. Cæterùm, faxit Opt. Max. in Cœlo Deus, Vos, Illuſtres Domini, Virtutem & Literas, firmiſſima rerum humanarum pręſidia, veſtro jure & curâ in Rep. noſtrâ contra vim & invidiam vindicetis. Valete Nobiliſſimi Magnifici DD. *Harlingis* 1636. *Kal. Iunii.*

Doctiſſimo Clariſs. Viro,

D. ABRAHAMO DE BRVGGE MED. Amico ſingulari,

De Vini potu Mulieri interdicto.

Ad Batt.

A*Miciſſime Domine*, Miraris præſtantiſſimæ potionis uſum fœmineo ſexui pręceptum eſſe? Atqui confirmat hoc *M. Catonis* authoritas: qui fœminam à Viro judice, ob potum vinũ mulctatam fuiſſe refert. Suffragatur Catoni *Gellius*: qui priſcos rerum Italicarum hiſtoricos ſcripſiſſe ait, *Mulieres Romæ atque in Latio ætatem abſtemias egiſſe.* Apponit ſuum Valerius teſtimonium: qui vini uſum Romanis olim fœminis ignotum fuiſſe dicit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur. Neque minùs *Plinius*: Non licebat fœminis vinum Romæ bibere. Atque hinc inſtitutum Romæ fuit, ut oſculum mulieribus cognati ferrent, & odoris indicio continentiam explorarent. De hoc more Satyricus:

Pauca adeò Cereris vittas contingere dignæ,
Quarum non timeat pater oſcula.

Præter præſtantium hominum Teſtimonia & autho-

authoritates, nota ſunt illorum exempla, qui convictas bibiti vini mulieres obtruncarunt. Inter illos nobile eſt *Egnatii Metelli* nomen: qui uxorem, quod vinum è dolio bibiſſet, fuſte interfecit. Neque impunè tantùm hoc illi fuit; Romulus eum bono feciſſe exemplo judicavit. Alia magna natu matrona à ſuis inedia ad mortem compulſa eſt, quod loculos, in quibus vinariæ cellæ claves erant, reſignaſſet. *Cneus* verò *Domitius* mulierem, quæ viſa eſt plus vini bibiſſe, quàm valetudinis cauſa deceret, dote mulctavit. Quæris quo potu ſitim ſedaverint? præter Acheloïa pocula, murinum bibebant aut paſſum; ſed ſapam etiam & defrutum, aliaſque potiones tum guſtu dulces, tum viribus imbecilles & languidas. Neque Romæ tantùm ſubtracta fuit fœminis temeti potio: *Maßilienſibus* etiam lex fuit, ut mulieres vino abſtinerent: quod apud *Mileſios* quoque in more fuiſſe, Theophraſtus teſtatur. Quid verò cauſæ fuit, quod muliebris ſexus, apud Romanos maximè, ita ſeveris legibus à vini potione prohiberetur? De eo *Athenæus* refert: quod Hercules Italiam peragrans, & labore æſtuque confectus, ex itinere ad hoſpitem quendam divertit, & ab illo reſtinguendæ ſiti vini poculum ſuppliciter flagitaverit. Excipit Herculem Paterfamilias, uxorique jubet, ut precioſiſſimi lagenam vini depromeret, hoſpitique illam ſitibundo porrigeret. At mulier moroſa tenaxque ad rem, lagenam ſtatim occuluit, Herculique, ſi vellet, aquam ſumere proximo ex fonte, mandavit. Eo iratus Heros, maritum impensè laudavit, mulieri verò vini uſum poſthac interdixit. Quod ad omnes poſtea regionis illius perveniens fœminas, univerſam poſtmodum uſu, ut ſolet, Italiam occupavit. Sed hæc Athenæi narratio Poëtarum redolet figmenta. Veram prohibiti vini cauſam *Valerius tradit lib. 2. cap. I. ne ſcilicet ſexus debilior in aliquod dedecus prolaberetur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſ-*

ſam

Digitized by Google

ſam Venerem eſſe conſuevit. Vt namque friget ſine Cerere & Libero Venus; ita pudicitia, tanquam ſpoliata munimento civitas, difficulter ſe tuetur, quando obſeſſa vino, mentem & verecundiam depoſuit. Igitur Apoſtolus Epheſios monet. *Ne vino inebrientur, in quo eſt luxuria.* Senſit idem Alphonſus, qui rogatus à ſuis, cur vinum adeò damnaret. *Quia ſcio,* inquit, *furorem & libidinem ebrietatis eſſe Filios.* Laudem itaque meretur Romulus, quod prohibito fœminis vino, ſuum libidini nutrimentum ſubtraxerit, ne ſub hoc illa deliteſcẽs fomento, violandi pudoris habeat aditum. Vt verò capitalem bibiti vini pœnam non probo; ita neque credere poſſum, morte uxores fuiſſe mulctatas, quæ vinum hauſiſſent. In quâ me confirmat opinione *Cicero, qui non tam ſupplicii metu, quam verecundiâ diſciplina temeto mulieres carere dicit.* Plura non addo, niſi ſalutem tuam: quam magis tibi opto, quam poto. ſc. Non eſt in potâ vera ſalute ſalus. Vale & Salve. *Harlingæ apud Friſios.* 1637. *prid. Non. Iulii.*

Reverendo, Clariſſimoque Viro,

D. MEINARDO SCHOTANO,

Doct. & Profeſſ. Theologo.

Franekeram.

R*Everende Vir,* Literæ tuæ hodie alas habuere. Tam ſubito ad me itinere delatæ, ut Pegaſum tibi vectorem fuiſſe putem. Facit hoc igneus ille animi tui ardor, qui hunc in me ſpirat calorem. Scilicet,

Odit verus amor, nec patitur moras.

Hoc melle & amore tota tua ſtillat Epiſtola, quâ ſic multa meæ fidei nunc ingeris. In hoc videbâre tamen lætari & reſpirare, quod nomini tuo debitum honorem & decus tribuiſſem: Meritò, ac ſine

 palpo:

palpo: Quamvis tu laudem vix æquè feras, quam Patria & poſteritas tibi debet. Adeo in omni vita odiſti philautiam: magis alienæ, quàm tuæ laudis appetens. Vera illa Virtus, & prudenti propria, non æſtimatione ſui inſoleſcere, aliorum res & labores plurimi ſemper æſtimare.

Nomina multorum cum nox involverit umbris,
Immortale tibi Nomen honosq́ manet.

Illius Theologi rixam, quæſo, contemne. Hoc non Theologum, rodere alios & ridere. Non hoc Deum, & de Deo dicere ac docere, ſic vivere ac pervicari. Noli pennam hac cauſa acuere & Calumniam irritare. Feries illum ſilentio tuo melius. Diogenem imitare, qui dicere ſolitus, cum turbæ ſubſannarent: *illi me rident? Ego non rideor.* Audi illa ſcommata tanquam dicta in alienum. Etiam Auguſtum: *qui regium eſſe*, inquit, *benefacere & malè audire.* Hac linguæ ſuæ lancea percuſſit D. Bogermannum quoque, Virum ſupra omne Tecum telum & invidiam. *Nunquam melius torquebis invidos, quàm Virtuti & gloriæ ſerviendo. Et præclarè facit, qui invidiam propter res honeſtas fert.* Illos amo Theologos, quorum vita & mores cum ſacra illa amuſſi concordant; idem animo, quam doctrina profitentur. Talis Tu, qui vita & virtute Profeſſionem tuam adornas. Deum precor ex animo, Patriæ & Academiæ diu te ſoſpitem & ſuperſtitem conſervet ac tueatur. Vale Reverende VIR. *Scripſi Harlingæ Friſ. 11. Kal. Mart. 1637.*

Ampliſ-

Digitized by Google

Ampliſſimo Spectatiſſimoque Viro,

D. GERARDO KETH. Illuſtrium Generall. Ordd. Delegato, Conſuli Harlingano.

Hagam-Com.

A*Mpliſſime Vir*, Feciſti honorificam mei mentionem in Literis ad Cos. Gaverium: Quo nomine gratiam tibi habeo. Quod amplius, Poëtæ me titulo dignaris, quaſi ſupra vulgus ſiã & triviales tenebras, in Vatum numero. Agnoſco favorem & hac parte lætor. Iudicio & errori tuo ignoſcere vix poſſum aut debeo. Velit benigna Literarum Dea, locum aliquando faciam in ſuo contubernio. Hoc, quod de gratulatione ad magnum CATZIVM, cujus famam & nomen à teneris ſum veneratus, ſanè pudet. Imparem me fateor tanti Viri Genio. Tibi amicè hoc petenti tantillum laboris mei denegare non debui. Pati poſſum, ſi Catzii Lynceis illis oculis poëma noſtrum placeat, lucem videat. Tu, Ampliſſime Domine, correctorem elige ſcientem & diligentem, ne mihi & Viro magno macula inuratur à Typographo. Deum precor, nos & vos periculoſo hoc mundi tempore ſervet incolumes. Vale. *Harlingæ* 6. *Sept.* 1636.

Illuſtri ac Generoſo Viro,

D. IACOBO CATZIO, Equiti, &c. Summo ſupremæ apud Batavos Curiæ Advocato & Penſionario; Lugd. Bat. Academiæ Curatori.

N*Vnc rerum ſummas vates molimur habenas;*
Præcipuo in Belgis ſtatque Poëta loco.
CATZIVS *in Batavis afflatus Numine ſacro,*
Conſilio tractat Publica Sceptra ſuo.

In Phœbo ſic creſcit Honos, & Pallada curat
Majeſtas Patriæ Naſſoviique labor.
Debetur, VIR *Magne, tuis hæc gloria factis,*
Inferior meritis gloria tanta tuis.
Qui ſublimè ſapis, loqueriſque oracula Mundo,
Et tantùm curis incoquis alta tuis.
Mantua Virgilio Vati, Verona Catullo;
Divino quantùm Græcia Mæonio:
CATZIADÆ *tantùm Muſis doctoque lepori*
Debemus Belgæ Pierideſque Deæ.
Protinus in terras Aſtræa hoc Vate revertit,
Et melior nobis luxit ab axe dies.
Viſæ omnes gaudere Deæ: quas alta Pirene,
Quas Parnaſſus habet, ſacraque Cyrrha rigat.
Primatum iam Muſa tenet, neque Vatibus iſtis
Amplius in Belgis Barbara turba ſumus.
Et faciem vultuſq; novos Reſpublica ſumet,
Præſidiis tanti conſiliiſque Viri.
Scilicet hic cedris & Apolline digna loquetur;
Hoc uno poſſunt farier ore novem.
Eſt CATZI *divina tua Facundia Suadæ:*
Hyblæos redolet lingua diſerta favos.
Treïcius Vates, doctuſque audiris Arion,
Alter & Amphion Mæoniuſque ſenex.
Qui Tripodum ſacris, qui plenus voce Sibyllæ
Attonita Eloquio Roſtra Forumque tenes.
Felices Batavi! Quibus hoc cum Principe Vatum
Alloquio teritur protrahiturque dies.

Clariſſimo, Literatiſſimoque Viro,

D. GEORGIO PASORI. Græc.
Litt. Profeſſori.

Franekeram.

C*Lariſſime Vir, Mag. D.' Rector.* Benevolā tuam manum ſic modò accepi. Simul mentem & ingenuum in me affectum, teſte calamo & literis tuis, perſpexi. Hoc meo præ cæteris honori tribuo, quod à te & veſtra illa luce ac ſplendore tanti

tanti fiam, ut me, qui ad ultimas Friſiæ oras hîc dego, tamen non inter extremos hominum habeatis. Amorem tuum in me egregia nunc nota perſpicio: quod totus conêris evertere meum de ſumenda alibi Lauro propoſitum. Penè dicam & litem mihi imponis, & vidêre tuo me ſupercilio perſtringere, quod me à patria Muſa, à ſtudiorum meorum matre cupiam abducere: quaſi parvam illi gratiam pro primâ illâ nutricatione deberem. Abſit mala opinio. Amo præ locis omnibus ſedem illam beatam, mei nutricem ingenii, famæ & laudis prima incunabula. Veſtrum Ordinem veneror & vereor. Nullibi terrarum, fateor, ſuccum & ſpiritum traherem libentius, quàm apud Vos. Neque uſquam pilea & annulos magis deſiderem, quam in illa Muſarum Corona & Cœtu tam magnifico. Quod paullò nunc feſtinem, ſub ipſis feriis, Veneris faciunt ſtimuli & ſacra, quæ in ſuos etiam amores Vatem traxêre. Ceterùm, Vir Reverende, longùm ac longævum valere & vivere Te jubeo. *Dabam Harlingæ Friſ. 3. Non. Apr.* 1636.

Conſultiſſimo Prudentiſſimoque Viro,

D. IOANNI GVVALTERO. I. V. D. Sponſo.

Leoverdiam.

CLariſſime Vir, Poëtarum eſt, omnium rerum agere perſonas. Domi, foris, ubique Vatum res agitur. Mori, naſci vix contingit ſine Prǫficâ aut prǫcone. In Funera & Triumphos poëtam non loqui, indecorũ. Nulla deniq; res tam minuta aut ardua geritur, quin Poëta ſe immiſceat; quin juxta eat Vates. Poëtarum eſt, teſte Ariſtotele, imitari, nec poeſis aliud, quam concinna rerum quarumlibet imitatio. Et mihi, Clar. Vir, cum de tuis tam felicibus Hymenæis inaudirem, ſaliit

mamilla, & amabili vexabar inſania, ut inter media etiam contagia & proximas mortes, Tibi Thalamos & lætum Connubii Feſtum apprecarer. Peccaſſe viderer, ſi tuam illam Iunonem cujus affinitate nunc jungor, nullo ingenii colore deſcriberem. Et planè alienum foret à tua in nos colendo humanitate, hoc inprimis ſacro amoris ſolenni, ſi non eximia tua prudentia & meritum aliquo indicio loquacem me faceret. Precor de cœlo Deum Vir Cl. diu feliciterque in beato Amoris ſinu perennes. *Harlingæ apud maritimos 3. Kalend. Ian. 1637.*

EPITHALAMIVM.

Sic Manes inter celebrat GVVALTHERVS *Amores;*
Et ſequitur triſtes Vita Venuſque rogos.
Sat tumulo mortique datum. Stat prona Dione
Dulcia proliferi condere jura Tori.
Connubiis Lucina favet. Dat jura Cupido,
Et Mundi imperium nunc Ericina tenet.
Odit amor Lacrymas & triſtia funera: Luſus,
Oſcula, Conjugii pignora curat Amor.
Sic facilè amiſſos reparabit Friſia Cives;
Et multo Auriacus milite tutus erit.
Baſia ſi ceſſent, nocturnaque prælia lecti,
Belgica præſidiis jam foret orba ſuis.
Tu primus poſt tot Mortes & funera, IANE,
Das riſum Muſis materiemque joci.
Conſociat tecum pulchros CATHARINA *lepores,*
Virgo Leonini gloria prima Soli.
Sic curæ ceſſêre ultra Garamanthas & Indos:
Obtenebrant animum nubila nulla tuum.
Illius adſpectu Pylius juveneſcere poſſet,
Viribus & Thiton fortior eſſe ſuis.
Sic pudor & pietas oculis ſcintillat honeſtis;
Ambroſius tanto manat ab ore Lepor.
Pugnat Majeſtas inter ſe & Gratia rara:
Agnoſcit laudes vix Venus ipſa ſuas.

Fallor?

Fallor? an illa graves expugnet Forma Catones;
Et rigidus Mores ſtipes amâre queat?
Hanc GVVALTHERE, *Deus jungit tibi fœdere Nympham:*
Iudicio poſſit quæ Venus eſſe meo.
Quod Paris Oenona, forti Briſeis Achilli:
Æmonioque Duci Laodameia fuit.
Porcia quod Bruto; quod noſtra Boethia nobis;
Quod fuit Iſaco caſta Rebecca ſuo.
Hoc, Heros, CATHARINA *Tibi, tot dotibus aucta;*
Candore, ingenio, nec probitate minor.
Sic placitum Superis, Thalami qui fœdera jungunt:
In votúm pronam Cyprida Sponſus habet.
Ibitis hinc atra, feralia Nomina, Mortes,
Et Thalamo quicquid triſte nocere poteſt.
Odimus hîc Tumulos, inviſaque ſpicula Lethes.
Triſtia conjugii damna rependet Amor.

Reverendo Doctiſſimoque Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS, Neocleſiæ Geldrorum V. Div. M. Avunculo.

Neorteſiam Geld.

D*Ilectiſſime Avũcule,* Nuperas tuas Literas cum amabili ſalutis miſſione accepi, legi. Gratum inprimis fuit de tua Valetudine, quæ toties nobis in animo, manum tuam interpretem vidiſſe. Vnicum hoc inter abſentes remediũ, quo tædia & deſideria ſua ferre & refocillare amici poſſunt, Literarum illud iter frequentare. Multo miſerius viveremus mortales, nec ferenda prorſus illa ſiderum & locorum mutatio, ſi chartarum adminiculis, & illis mentis noſtræ quaſi vehiculis deſtitueremur. Fata & officia cum diverſe nos trahant, & variis mundi plagis ſuos incolas natura diſponat, in ſolatium difficilis abſentiæ, miniſterio Literarum utimur, Et quo corporis obſequio non

non ferimur, eò mentis cogitatione deducimur. Parva Cera, quot non ſecreta per terras, per maria tranſportat! Etiam, quæ proloqui non audet pudens verecundia, literis illa liberè perſcribimus. Quantam mihi inertia mea pœnam impoſuiſſet, ſi non pennâ & Literis explicare me poſſem. Lineam dum duco, mi Avuncule, loqui tecum videor, & eſſe à latere. Fallor tamen, & dum oculis videre te puto, meras umbras capto. O quàm lætum charos illos ocellos coram luſtrare, & non per Literarum illas tranſennas tueri. Brevis voluptas, nudis imaginibus nos paſcere; dulce oblectamentum vitali ſe gaudio perfundere. Hanc de Cœlo habituri dieculam quo loco, mi Avuncule, quo ſidere? Vtinam hodiernus hic dies feſtus mihi & Nuptialis: quo partem noſtro amori & otio faceres. Magnum in amore negotium habeo. Verſor in amoris rota miſer, & à Venere dulcis nobis miſcetur amarities. Tibi quid negem amplius? Sponſus ſum, Deo & Fide teſtibus. Quod nefas in concordi illo jugo arbitros Parentes ad hæc arcana non habuimus. Animo & votis officium fecimus. Amor interventu ſuo tempeſtivum diremit conſilium. Cæterùm, in portu navigat, malis tamen inclinatis, & velo non ita diducto. Faxit Deus, fortunatum ſiat quod cæpi. *Amor locuples piſcatus eſt bonus*, inquit ille. Inſerui nos in optimam familiam & à longa ſerie laudabilem. Socer, Tribunus militum, Vir ſagaciſſimi Ingenii, & multa peregrinatione ac uſu rerum callẽtiſſimus. Niſi Titulus Iuriſprudẽtiæ me tardaret & jus Annuli aurei, Ingenuitatis illud Symbolum, jam dudum nuptias celebraſſem & fortè parens fuiſſem. Riden'? *Qui ſemel eſt ingreſſus amoris vias, ſuperavit ærumnis ſuis ærumnas Herculis.* Hæc de Amore. De morte prô dolor! nuper tecum ſum loquutus: quæ nos & amicos acerbiſſimè afflixit. Iterum mala. Graſſatur latè per Friſiam dira lues. Domos, urbes penè viduat ac vaſtat. Omnes in metu & horrore

vivimus

vivimus. Deus ſi unum in nos mittat fulmen, perditi ſumus. Quod ut abſit, velatis manibus rogo. Vos valere, quantum poſſum, jubeo. *Dabam Harlingæ* 13. *Kal. Maji.* 1636.

Doctiſſimo Viro,

D. BERNHARDO FULLENIO, Linguæ Hebrææ Profeſſori digniſſimo.

Franekeram.

C*Lariſſime Vir,* Sæpius in animo, quàm in oculis te habeo. Et licet corporis inter nos officia languidè ſe habeant; mens tamen & cogitatio ſatis eſt alacris, in recordatione tui erga me affectus. Ne, quæſo, inducas animum credere, beneficia in me collata, apud ingratum & immemorem ſepeliri. Rectior mihi indoles eſt, & ad tuendas amicitias ſum ſincerior, quàm ut ſacri convictus memoriam tam turpiter, quàm illiberaliter patiar computreſcere. Seneca inquit: *Beneficio reddendo non dicitur dies, ut creditæ pecuniæ.* Hoc de me cogita, Vir Cl. qui non uno obſequio totus ſum tuus. Nunc, Scholaſticum hoc Exercitium benevolè velim accipias; meam quoque erga bonas literas voluntatem ſuo merito & pondere æſtimes. Addo aliquot Exemplaria poematum Iuvenilium: quæ, tempore & loco commodo, Collegis Profeſſoribus offeras, eoſque meo nomine pro vetere obſervantia plurimùm ſalutes. Vale, mi Fulleni, Amicorum Ocelle: Vale. *Harlingæ* 16. *Kal. Iunii* 1634.

Nobi-

Nobiliſsimo, Ampliſsimoque Viro,

D. ADAMO FORESTO, Med. D. Coſ. Alcm. & Rei Nummariæ Adminiſtro Primario.

Cum D. IOANNIS FORESTI I. ICti de Galliarum R. DELPHINI Natalib. Carmen ad me mitteret.

MAgne Vir, Alcmaria Decus & tutela Minervæ;
Cui Batavus curas credit, opesque ſuas:
Non hîc Borboniæ canimus Cunabula prolis,
Non Regum Thalamos, Sceptra, Ducumque thoros.
Sed Magni cunas Domini, Natalia IESV;
Virtute, Ingenio Nomina digna tuo.
Exſpectata diu ſoboles deſcendit Olympo,
Quo generi humano vita ſaluſq; redit.
Quo placat ſeſe ira Dei, infernique poteſtas
Corruit, & Satanæ concutiturq; labor.
Purpura non Regum, nec ſunt Cunabula tanti,
Qualia DELPHINO *Rhenus Ararq; parant.*
Plus CHRISTI *præſepe valet viliſq; ſupellex;*
Plus ſtabuli nudum ſtramen honoris habet.
Si tibi, Magne Ducum, flammis colluceat æther,
Totius & mundi fauſta precetur honos.
Hîc cœlum inſolito teſtatur gaudia plauſu,
Veſtiturque novo lætus honore polus.
Angelicæ cecinere tubæ. Sol lumine pulchro
Naſcenti puero præbuit ipſe facem.
Tu, Ludovice, Tagum ſi forti Marte fatigas;
Si parêre Tibi Bactra Thulemque facis:
Nos hîc Tartareum tantis Natalibus Orcum
Vicimus, & ſpolio cedit Avernus iners.
Ipſaq; mors mortem patitur. Stat janua vitæ
Noctes atque dies nunc adaperta piis.
Nec formidamus Stygio ſub gurgite pœnam
Amplius. In CHRISTO *noſtra renata Salus.*

Salve

Salve! noſtra Salus IESV. *Salve inclyta proles:*
Magni Nate Dei, Cælicolumque decus.
Qui nunc nudus, inops prodis de Virginis alvo,
Nobiſcum æternâ pace & amore cois.
Ergò omnes tua nunc circum præſepia CHRISTE,
Plaudimus, & cunis oſcula blanda damus.
Fac, ô Dive Puer, nobis cum Flamine Sancto,
Ad vitæ extremùm vivere, ſemper ades.
Et Tibi, Mecœnas, ſuperet tranquilla ſenectus,
Curarumque expers, & ſine clade Torus.

AD MAGISTRATVM HARlingenſem.

A*Mpliſſimi, Spectatiſſimi* DOMINI, Ratio & officium me impulit, ut Veſtro iterum Nomini atque Auſpiciis Scholaſticum hoc Exercitium inſcriberem. Vt, quali ego fide & induduſtria, pro virili meâ parte Spartam meam procurem atque exornem, Vos etiam in Curiâ videretis. Et quomodò Iuventus in Scholâ Veſtrâ, ſub meo ductu & diſciplina, ad eruditæ pietatis cultum informetur, certis ad oculum exemplis cognoſceretis. Vanam ego & inanem omnem eſſe ſcientiam duco atque judico, niſi illa eximium à virtute decus & ornamentum; à Pietate firmiſſimum robur & præſidium ſortiatur. Quare etiam multò ſanè melius multis fuiſſet, nullam ſibi unquam Doctrinæ laudem acquiſiviſſe, quàm ingenuas Artes, & illa tam præclara Literarum inſtrumenta, cum ſui pernicie & bonæ Famæ Nominiſque jactura tam præpoſterè, quàm infeliciter tractaſſe. Tum veſter admirabilis in omnem Reipublicæ partem felicitas redundat, quando Virtus & Doctrina in uno eodemque contubernio ſtabulantur. Ego itaque V. A. divina atque immortalia Servatoris noſtri beneficia Diſcipulis meis in memoriam & mentem revocare volui. Vt, ſumpta ad manum tam utili, quàm illuſtri materia,

teria, in illa ſtylum & linguam exercerent. Quibus ſi fortaſsè nimis in laboris partem ſuccurrerim, facilè me bonorum judicia propter tenellos Diſcipulorum profectus excuſabunt. Cum neque pudor, neque turpitudo mihi ſit, publicè etiam fateri, quàm hîc in adventu meo Scholam penitus protritam, proſtitutam, & neſcio, quàm malo Fato, in ruinam atque exitium penitus prolapſam invenerim. Aliàs, ſi Deo ſic viſum, & aura mihi veſtri favoris benignè porrò adſpiraverit, Virtutes & Vitia: quorum ſeges & quæſtus hodie eſt uberrimus, Oratione in lucem conſpectumque proferemus. Cæterùm, Deum ex animo precor, ut Vos, Rem, & Salutem Civitatis noſtræ publicam Veſtræ ſemel Fidei commiſſam priſcâ cum Fide atque integritate ſartam tectamque conſervet. Nos in illa dicatam Deo & Muſis Iuventutem bonis Artibus tam diligenter, quàm religioſè imbuamus, informemus. Valete Ampliſſimi DD.

Dabam Harlingæ Kal. Majis 1634.

GEORGIVS PASOR,

Prof. G. L. Amicò ſuo,

D. REINERO NEVHVSIO I. V. D.

Harlingam:

LIteratiſſime Vir, Amice ſingularis, *Gratias tibi ago immortales pro libellulo: quem nobis inſcripſiſti. Habebis à me propediem ἀντίδωρον, ut opinor, ἰσοφαρίζον. Ne nomina me γέροντα, qui tantùm ſum 64. annorum σὺ δώσεις μοὶ γέρας μετὰ ἔτη εἴκοσι, ſi ita Deo viſum fuerit. Quod valde miror, inaudivi ex quodam te nolle in* Academiâ *patriâ gradum Doctoratus capeſſere, ſed cogitare Vltrajectenſem, à quo propoſito non poſſum non te dehortari. Quamvis verè fatear, te Friſonem atque ita liberum, tamen diſpicere debes, quidnam ſit εὐσχημονέστερον. Hanccine referes* Academiæ *patriæ, parenti tuæ gratiam? Nihil video obſtaculi, quod*

li, quod à nobis te amoveat, ſis tui percupidis. Conſtitueram ad vos venire, ſed μαρασμὸς ſenilis me inſtar armati militis invaſit. & pedes fecit plumbeos, unde conjecto non ita procul diſtare meum ex hac vita diſceſſum. Si valetudo admiſiſſet, de pluribus tecum potuiſſem ἀντιβάλλειν. τε καὶ συζητεῖν. Nunc Vale, & perſta in amicitia fœdere. Signatum 3. Cal. Majas 1634. Franicæ.

Clariſſimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO. P. Gymnaſiarchæ Leoverdienſi, diem natalem celebranti 21. Octob. 1635.

Leoverdiam.

CHariſſime Parens, Nos Harlingæ, Deo ſit gratia, mediis Aquilonibus rectiſſimè valemus. Propoſueram propediem ad vos, indicium facturus veſtræ Valetudinis. Neſcio, quæ mora intervenerit, & itineri meo remoram nunc faciat. Studiis ad paucos dies interdixeram ſuo officio, ut totus ad Vos ſine ſarcinâ & ſupercilio venirem. curis] omnibus hic ad Littora ſuſpenſis. Inprimis, mi Parens, tuus Natalis, quem diem religioſè ſemper æſtimavi, alas mihi dediſſet, ut coram tibi de illo gratularer. Quod abſens nunc ago, Poetico accinctus ſpiritu, quem benè conſulas, volo. Vale mi Parens, Vale.

CARMEN NATALITIVM.

Chare Pater, centum circumſtent pectora curæ,
Nec tibi tempeſtas obruat una caput;
Et ſe conglomerent vitæ ſub fine labores,
Fluctibus aſſiduis ut videare premi.
Ne quid deſperes: ſed contra audentior ito.
Excipiet triſtem lætior aura diem.
Et qui nunc gelida Boreas bacchatur ab Arcto,
Non fera perpetuùm prælia fronte geret.

Iſte

Digitized by Google

Iſte ſalutiferus veniet poſt nubila Titan.
Qui nobis cælo jubila læta dabit.
Mitte graves animo, mordentes ilia, curas,
Nec tumulum toties per tua vota pete.
Perfer & obdura. Poſt longæ tædia vitæ,
Poſt mala tot veniet lætior hora Tibi.
Fallor? an incipiunt gravidæ evaneſcere nubes?
Et facie ridet candidiore polus?
Da Deus augurium, & propius res adſpice noſtras:
Hic opus auxilio præſidioque tuo.
Nunc quoq; ſollicitant cæleſtia Numina Belgæ,
Et res in dubiis publica poſcit opem.
Illinc terribiles miſcent aconita Novercæ,
Hinc Bellona ferox quaſſat utrumque caput.
Peſtis, & ira Deûm, mortiſque incendia terrent,
Et furias omnes degener orbis habet.
Tu ni, CHRISTE *potens, animos miſerabere fractos,*
Ipſa foret nobis orba ſalute Salus.
Dira Licaoniæ cedant ſi fercula menſæ,
Et blanda nobis fœdera pacis eant:
Sic iterum lætos poſſet dare Belga triumphos,
Et Tibi Natalis candidus ire dies.

Ampliſsimo Doctiſsimoque Viro,
D. MEINARDO AETSMA,
Graphiario in Senatu maritimo.

Doccetum.

S*Pectatiſsime Vir*, Nata nuper de itinere Gallico conſilia, ne plus nimio fluctuare videantur; quia parum de illo recta & rata adhuc inita ratio; non de nihilo mihi viſum fuit, unica inſuper lineola mentem noſtram perficere: ad utriuſque noſtrûm ſecuritatem. Frater non ultra primam æſtatem reditum differet. Nam Parens meus jam animis & annis fractus, ſepulchri quotidie ſcro-

bem

bem & cælum ſperat, hujus vitæ & moleſtiarum ſatur. Hoc magnum illi miſero, ante fatalem illam horam, ſolatium, ſi alteram ex ſe ſobolem in tuto & honore videat. Hoc tamen gratiſſimum, ſi in Filii tui jucundo ſodalitio ad hoc uſq; tempus totus permanſerit, *Duce lætus Achate.* Sed ex ſuo dimenſo vivet ſobrius, ſuo ſolo & ſale contentus. *Benè eſt, cui Deus obtulit Parcâ, quod ſatis eſt, manu.* Ad honeſtam frugalitatem abundè eſt inſtructus. Superflua nec habet, nec deſiderat. Et quorſum? illa apud peregrinos ſumptuū inutilis profuſio, ubi locorum multa hoſpitia, paucas amicitias habemus. Frater meus ad Feſtum Paſchatis hic commorabitur. Quo tempore dilapſo, velis remiſque Roterodamum feſtinat, illic primam itineris occaſionem exſpectaturus. Hic ſiſto, Vir Ampliſſ. & longum valere te jubeo. *Dabam Harlingæ 13. Kal. Maji 1635.*

Filio Suo, R. Neuh.

EDO NEVHVSIVS P.

Salmurium.

DIlecte Fili, *Literas tuas, quæ me inopina multarū rerum imagine tantùm non conturbarunt, lætus tamen accepi. Duo præcipuè ſunt, quæ mihi ſollicitudinem injiciunt, Vocatio Harlingenſis & ſtudiorum mutatio. Vocationem; quanquam Literas meas Cadomum ſcriptas nondum legeris, rejicis, ut te indignam, & importunam. Eam ut accipias & commodam opportunamque & nomini tuo convenientem, prorſus ſentio. A Deo hæc eſt Vocatio, quæ tibi obtigit abſenti, mihi initio neſcienti. Impium eſt vocanti Numini obluctari. Magnorum Virorum gratia & autoritate elaborata eſt. Inhumanum eſt benevolentibus Patronis obſiſtere. Tui eſt parentis conſilium, hortatus, voluntas, ut demandatam provinciam ſuſcipias. Turpe eſt ac indecorum non gerere*

morem.

morem. Iam te Civitati Harlingenſi addiximus, domum conduximus, fidem obligavimus. Omnis honeſta ratio poſtulat, ut ne bonos viros ludificemus. nulla hic tergiverſatio, nullum admittitur effugium; niſi Dei iram & bonorum odia, & Parentum indignationem velis ſubire. At humilis eſt, teque indigna conditio ſi propoſitum ſpectes animi ac ſtudiorum. Tu verò per gradus debes ad honores aſcendere, & rectè agendo eniti ad altiora. An verò non eſt honorificum ſatis, homini adoleſcentulo, & quidem abſenti, in primaria urbe pubis tradere gubernacula regendæ: quæ appetunt Viri honorati? Non ſubſiſtes hic diu; ſed gradum facies ad altiora, ubi te collegeris, & virtutis conceptam de te opinionem confirmaveris. In ſummo te exſpectat honor Lauri. Atque hic habebis, quod ſcribis, malle te mediæ regionis tenere curſum principio, quàm ſtatim in conſpectu Belgii fulgere. Iam verò cogita, quod nihil tuis ſtudiis magis conveniat; quàm in tali vocatione ad deſtinatum finem progredi, cum inter ſacrum & ſaxum hærens; quò te applices, ignores. At turpe eſt, ita redire citò in patriam ad conſpectum amicorum. Vmbram illam gloriolæ noli tantopere amare, ut præ illa negligas gloriam certam & ſolidam: quæ erit ab honeſta vita, induſtriaque juventutis in patriæ conſpectu. Vix quiſquam ex Doctoribus noſtris ultra anni tempus in Gallia moratur. Et placuiſſet mihi diuturnior abſentia; niſi revocaret te Deus, ſine dubio, ſingularibus de cauſis. At propoſitum eſt juris ſtudium. Si hoc ita placet, perge in illo, & tracta hoc uberius in tuo lare, ad focum tuum. Curiæ Advocatus honeſtius & liberalius, ais, vives. Fallis te plurimum, cum plerique querantur indigentiam, cuperentque conditionem tibi oblatam, ſi gerere illam rectè poſſent. Cogita porrò, quàm in Friſia difficulter aliquis promoveatur, ut neglecta hac vocatione cum Æſopico cane inſanæ cupiditatis pœnas dare poſſes. Satius eſt certa ire ad honorẽ via, quàm ſequi ſpes vanas. Qui omnibus deberemus ludibriũ, ſi poſt aliquot reverſus annos, neque tum quidem rectius honoratiuſque promovereris. Nunc de Iuris Legumque ſtudio, quod arripuiſti, faxit Deus ſecundo eventu. Fili, ſi ſplendorem & gloriam tantum

tum

tum cogitas humanum, peccas. Si cogitas ex illo ſtudio nomen tibi parare, erras. Ex Literis inclareſces, in quibus indolem habes & tot annorum induſtriam poſuiſti. Pati poſſum hortorque te, ut, quia nunc certa ad manum vivendi conditio, à forenſi Togâ ornamentum tibi ſumas, non aliquod fundamentum, in quo vita omnem induſtriam deponas. Perſiſte igitur in propoſito tuo, & Legum illud ſtudium gnaviter cura: unde Nympha tua ornatiorem habebunt veſtem. Lipſium cogita, qui eloquio magnus, Iuris titulum ſumpſit, magis ad decus, quàm uſum. Igitur, mi fili, para te ad reditum, ut ad ſummum cùm exitu Canicularum apud nos ſis. Hæc te hortor, & autoritate patria injungo. Vale. Leoverdiæ 6. Kal. Iun. 1632. ſub prodigioſo aëris frigore.

Conſultiſſimo Clariſſimoque Viro,

D. BERNHARDO SCHOTANO, I. V. D. Apud inclytos Vltrajectenſes Iuriſp. Profeſſori primario.

Vltrajectum.

CL. *Vir*, Quàm certò conſtitueram venire ad Vos & Muſas veſtras! Ad te, hoc eſt, alterum me: quem inter apices amicorum ſemper habui, & cui præcipuè hunc honorem & affectum detuliſſem. Conſilium & propoſita ut facilè alternant! ut homini varia cogitatio & ſenſus! Occaſio nobis imperat ac Fato alligamur: cui quis repugnet? Peto non inanem me arguas; ſed majore vi impeditum humaniter excuſes. Præter exſpectationem vocat & invitat me Franekera, iniquè latura ſi Vobis & Academiæ novitiæ promovendum me darem. Inquiũt omnes Civem me ſuum; natum, educatum in Friſia; in patria Academia inſtitutum. Hic amicos, famam, exiſtimationem me habere. Reclamant, ſi Vltrajectum me conferam: quaſi noſtræ Minervæ ingratus ſiam. Hoc plurimi

plurimi pleno ore: ſi auſim ad tranſmarinos proficiſci, ſe facturos, mei aliquando facti me pœniteat. Quid faciam vinctus & victus? Lætor ex intimo animo, eſſe in illa Themidos Schola ſic multos mei percupidos. Viden' quid ſera ferat veſpera? ut Vomens noſtra in diem & horas ambulatoria? Vobis, inquam, Viri Ampliſſimi, honorem illum libens dediſſem, niſi noſtra Minerva, ad primum hic lapidem, ſuo me jure ad ſeſe pertraxiſſet. Vale Vir Ampliſſime, Spectatiſſime. *Harlingæ Friſiorum Kal. Auguſti.* 1636.

Conſultiſſimo Ampliſſimoque Viro,

D. GVILIELMO van VEEN, I. V. D. Prætori.

Bruco-Batavum.

SPectatiſſime Vir, De Filioli tui valetudine ac ſalute quàm crebrò ad nos ſuſpires, juxta me novi. Etiam voto & precibus quod quotidie apud Deum nos circumferas. Probo inſtinctum, Deo & fidei probatum. Nec ulla parentibus cura potior eſſe debet, quàm quæ dulciſſimos Liberos, ſanguiniſque ſui particulas concernit. De cæteris planè ſecurus, ac perplacere tibi potes: Quod rem meam familiarem cum gaudio cognoveris, & in illa dignum Aſcanio tuo ad Doctrinam & Virtutem aſylum inveneris. Præſertim Alcmariæ, ubi in ſuis aliquando incunabulis tua vagiit infantia, luſit pueritia, exercuit ſe adoleſcentia. Qua etiam in urbe, & meâ, ni fallor, hac domo, Tute ipſe ſtudiorum tuorum tyrocinium magna cum laude depoſuiſti. Novi incredibilem quoque dolorem tuum, V. A. quo nuper, proſtitutis Literarum hic ſtudiis, ſupra modum affectus fuiſti: Nunc verò, reſtituta in integrum Pallade, quàm ex ære tuo

ducas

ducas Scholæ noſtræ incrementum. Illud propediem, confido, videbis, nequicquam priſco illi decoro ad gloriam & faſtigium deſit. De Collegis meis, quod rarum in illa ſocietate, & pietatem eximiam & doctrinam ſingularem meritò depręędicare poſſum. Deus vitam & annos modò prorogetget; ut, quo pede res Literaria proſerpere tandem incepit, tanto fortius & felicius grandire gradum queat. De Magiſtratu noſtro & Liberalium Literarum Mecænatibus, Vir Cl. noſti, quam inſigniter Muſis & Gymnaſio noſtro proſpectum. Si unquam; Lumina Virorum clavum nunc tenent, *& ipſi Reges*, fas ſit dicere, *in beata Civitate philoſophantur*. Loci opportunitatem ſi ſpectes, ipſum hic Helicona incolimus. Et ſanè dubitem, an in univerſa Batavia ad Apollinis illam Officinam plus amœnitatis, plus aureæ ac germanæ tranquillitatis. Hic qualem Filius ſe exerat, quâ feratur induſtriâ rogas? ſtrenuò ad palmam decurrit in Palladio illo pulvere, & per tui ſudoris ſignata quondam veſtigia maſculè progreditur. Vtinam! ſupervivere tibi detur, ac per ætatem liceat; ut, quos ipſe in florente Rep. faſces adminiſtras, in Filium aliquando pari felicitate tranſcribas. Hoc tecum Ego voveo, Vir Ampliſſime, & longiſſimum Valere vos jubeo. *Ex Muſeo Batavo, Alcmariæ*. 1639. *poſtrid. Kal. Iunias*.

Doctiſſimo Iuveni,

D. ANTONIO A ZYLL,
Vltrajectino, in Amſtelodamenſi
Gymnaſio philoſophanti.

Amſtelodamum.

P*Raſtantiſſime Amice*, Generoſam animi tuì indolem, juxta admirabilem in bonas Literas amorem, duplice, quod lætor, indice cognovi. Primùm, vivo alloquio; deinde, muto taci-

tacitoque Literarum affatu. Vulgus hominum ſecus, quàm ſentit, loquitur. *Aliud clauſum habet in pectore, aliud promptum in lingua.* Tu, quantum à plebe & hominum vulgo, moribus, ac ingenio diſcrepes, quàm nihil falſi, nihil reconditi in pectore teneas, quàm tuæ linguæ tuus animus concordet, in nupero ſermone coram cognovi. Belgio & Muſis gratulor, quod tantæ ingenuitatis alumnum poſſideant, in quem illibatas ſuas opes conferant, ac tutò deponant. ἐκ τῶν πολλῶν, dignus profecto, qui cum paucis à Caſtalio Barlæi ore ambroſium Muſarum nectar bibas; à Divinâ VossI Facundiâ perennes eloquii fontes haurias. Ex animo loquor, niſi me provincia & pubes mea teneret, Vos in novo illo Muſarum Theatro inviſerem. Te, propter ſimiles animi mores & ſtudiorum illam affinitatem, qua proximè me accedis. illos, Literarum principes, ob eruditionem & Nominis famam: Quæ

Solem ad utrumque cucurrit,
Et longè Batavos fines ſe porrigit ultra.

Mea Poëmatia, mi Antoni, quod ad Lynceos illos oculos examinanda dederis, miror valde; nec tamen indignor. Cenſuram admitto tanto ſub judice, atque utinam ex merito laus illa veniat, qua me Iuvenem dignatur. Faxin, qualis judicer, talem maturè me præſtem. Deus vitam & vires largiatur. Etiam Tibi, mi Zylli, quem toto animi zelo nunc amo. Vale. *Harlingæ Idibus Iulii*, 1634.

MEINARDVS SCHOTANVS
Th. Prof. & D. S. P.

REINERO NEVHVSIO,
I. V. D. Amico ſuo.

CLariſſime Vir, Literatiſſime Domine, *Literæ tuæ, ut ſolent, perquam gratæ mihi fuerunt. Magis, quod à te, quod eo animo. Exoſculor veſtrum illum affectum, & ultra invito ad amicas neceſſitudines.*

Mox,

Mox, quando domum redieram, ecce literas tuas in primo limine. In quibus me accuſas, quod tam citò ad penſum & patriam redierim, valetudinis parum memor. Ne feceris; ex animo dolui, quod ibi commorari oportuerit. ſi potuiſſem aliundè alas mihi aſſumere, in pennas & remigium me dediſſem. Quare, cum prima ſe offerret occaſio, Amſtelodamum me recepi, & navem ingreſſus, pluvioſo licet aëre, aquis vento fervidis, nec abſque vitæ periculo. Si quid valetudinis cauſa neglectum, dabo operam diligentia reſarciatur. Frater, Literas, ut puto, omnes non accepit, binas ſaltem vidi. De Ultrajecto, ſi velis, gratiam & honorem ſpondemus, in decus Academiæ creſcentis. Quod multi fato meo indoleant, in ſolatium eſt tam bona amicorum copia. Cæterum, te rogo, mi Neuhuſi, literis tuis nos ſæpius inviſas, ac præſentem te nobis ſiſtas, ut nos ſuavi colloquio interdum excites. Etiam ut in precibus tuis noſtri ſias non immemor. Deus te diutiſſimè Scholæ, Academiæ, & noſtro bono ſoſpitet, omnique benedictione beet. Quaris, quid agat Frater? Labor eſt, nulla viro requies, otia nulla Viro. Vale, mi Neuhuſi, Vale. Raptim ex Muſeo Franekeræ 29. Iunii 1636.

Celeberrimo Literatiſſimoque Viro,

D. GEORGIO PASORI L. A. M.
& G. Litt. Prof. Seni venerando.

An Ius Civitatis communicare licet cum Peregrinis?

Fran.k,

D*Octiſſ. Vir,* Nuper inter nos facta multa mentio de peregrinis, & ipſorum jure in cõmunicanda Civitate. Obſcurius tamen in rem diximus, ultrò citroq; variâ ac vacillãte opinione. Priſcos annales igitur evolvam, ut utriq; noſtrum de propoſita queſtione melius ſatisfiat. Queſo, pro tua in me ſumma neceſſitudine, aciem oculorum intende. Et ſi epiſtolæ modum & metam fortaſſe

paulùm exceſſero, non vitio mihi dabis, Vir Cl. meam in dicendo prolixitatem.

Multæ fuerunt priſco ævo gentes, quæ veritæ ſui nobilitatem generis, & majorum inſtituta rituſque advenarum commerciis inquinatum iri, omnibus civitatem peregrinis interdixere. Inter illas *Lacedæmonii* primas tenuere, qui tenaciſſimi patrii ritus, ex Lycurgi inſtituto, neminem niſi ſuæ ſtirpis hominem admiſere. Et tantùm quidem iſti genti peregrinitatis inſedit odium, ut adoleſcentem graviter increpuerint, *quod viam noſſet, qua in Pileam duceret vicinam.* Non minus in peregrinos odium *Thebani* conceperant, advenas omnes ſuæ civitatis jure adituque prohibentes. Et *Athenienſes* quidem tantam ſuo generi ſanguinique nobilitatem adſcripſerunt, ut nullum in civium numerum cooptarent, niſi aut perpetuo domi exilio mulctatus eſſet, aut ob certæ artis profeſſionem cum domo familiaque ad ipſos commigraſſet. *Carthaginenſium* in primis notatur ſævitia, qui mari illos demergebant, quos in Sardiniam aut Herculis adnavigaſſe columnas cognoſcerent. Quàm exoſos habuere peregrinos *Indi Scbytæque*: quorum illi tridui tantum hoſpitium advenæ conceſſerunt, iſti autem peregrinos omni vitæ commercio prohibuerunt. Magna fuit harum gentium immanitas: quæ illas & plurimis vitæ fruendæ commoditatibus privavit, & quibuſdam etiam perniciem attulit. Melius ſanè Romulus civitati ſuæ proſpexit, cum victos ut amicos tractaret, & communicata cum advenis civitate, eam copiis abundantem, multitudine florentem effecit. Malo hoc Taciti verbis dicere, quam meis: *Quid aliud exitio fuit Lacedæmoniis atque Athenienſibus, quanquam armis pollebant, niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives habuerit.* Et idem: *Iam moribus, artibus, affinitatibus noſtri mixti, aurum & opes*

opes ſuas inferant potius, quàm ſeparati habeant. Age verò, videamus, quàm exitialis fuerit Lacedæmoniis & Athenienſibus illa peregrinæ ſtirpis abjectio, quàm ſalutaris Pop. Romano ejuſdem inſitio. Victi ſunt *Lacedæmonii* prælii unius caſu adverſo: quia victos illi oderant, & ſcribendo accisis legionibus ſupplemento civium copia deeſſet. Nam poſt acceptam ad Leuctra cladem, amiſſoſque mille & ſeptingentos viros, nunquam poſtea potuerunt civitatem in integrum reſtituere, Imperio turpiter amiſſo. Eâdem ad Cheronæam *Athenienſes* fortunâ cum Macedonibus certarunt, unicoque victi prælio libertatem ſimul & Græciæ principatum perdidere. Et cum Romano Populo *Carthaginienſes*, qui Africani ductu, profligato ad urbem ſuam Aſdrubalis exercitu, non alium ducem, non exercitum, quem hoſti opponerent, habebant. Vnicum in Annibale ſalutis poſitum erat præſidium. Fatetur hoc Dux ipſe, cum in Senatum accerſitus, *non prælio ſolum, ſed bello victum ſeſe, neque ſpem ſalutis alibi, quàm in pace impetranda, diceret.* Vnde tanti toties, tanquam ex cineribus, reparati exercitus? unde tam expedita militia, tam numeroſę ſcribendis ſupplementis copiæ? unde, niſi ex Civium abundantia, quæ adſcitis peregrinæ ſtirpis hominibus in immenſum excreverat. Iſta *Alexandro M.* mens fuit, qui deſcripto Alexandrinæ urbis pomœrio, eam parvo temporis ſpatio civibus frequentem, copiis abundantem effecit, cum novi advenæ ad propoſitum immunitatis ſignum magnis undiquaque agminibus confluerent Fuit *Theſeo* primo Athenarum conditori, qui invitatis ad novam urbem peregrinis, contractiſque advenarum copiis, magno opum cumulo ſuum brevi imperium auxit. Fuit *Venetis*, qui in urbis ſuæ vaſtitate, exhauſtis peſtilentia civibus, alienigenis civitatem largiter obtulerunt. Miraris cur præ reliquis Belgii populis Batavia, & in illa receptaculum illud, & promptuaria opulentiſſimarum mer-

cium cella, *Amſtelodamenſis Civitas*, tantùm terra marique etiam in alieno orbe, ſtupente terrarum orbe univerſo, valeat? Advenis portus portaſque aperit, advenis hoſpitium præbet, advenis ingenuorum civium jus & dignitatem concedit. Neque opulentia tantùm & firmitudo Civitatis ex hoc fonte redundat, etiam boni mores & liberalium artium ſcientiæ, & conſtitutum rectis legibus imperium inde ſæpè manavit. Nam cum *domi ſua in contemptu verſetur Propheta, alibi gratus honoratuſque*; optimus quiſque peregrè vivit; non quod pulſus fuerit; ſed quod ad meliorem virtutis cultum emigraverit. Vixit in Athenienſium urbe *Ariſtoteles Stagirita*; *Theophraſtus ex Ereſo*; *Strato è Lampſaco*, *Glycon ex Troade*; *Zeno Citienſis*; *Diogenes Babylonius*; *Antipater Tarſenſis*; *Anacharſis Schyta*. At quàm amplam ſcientiarum meſſem à præſtantiſſimis iſtis Viris Athenæ & Græcia univerſa collegêre. Exulavit Romæ ab Epheſo profugus *Hermodorus*: at quantum ab iſto viro commodum Romani decerpſerunt, cum Decemviris XII. Tabularum leges condere auctor adjutorque eſſet. Fatebuntur *Athenienſes* optimè ſibi ceſſiſſe quod alienæ ſtirpis *Erichteum* Regem ſumpſerint; quod *Apollodorum Cyzicenum*, & *Heraclidem Clazomenium* bello in hoſtem gerendo præfecerint. Agnoſcent Romani præclariſſimè de ſe meritum eſſe *Tarquinium Priſcum* Corintho oriundum; *Balbum* Gaditanum Garamantes debellãtem; *Trajanum* Hiſpanum omnium virtutum conſummatione illuſtrẽ. Efferet confœderata Belgarum natio perpetuo laudis præconio *Naſſoviam Principum gentem*: quæ, Teutonum alienigena de ſtirpe, ſua adverſus Hiſpanicæ crudelitatis aciem latera fortiter oppoſuit, enſes jugulis noſtris intentatos mira virtute repulit, Reip. Libertatem, Eccleſiæ Religionem, civibus quietem præſtitit. Hæc ipſa Friſia, noſtra hæc, inquam, Patria quid foret? quâ laude pretioque decora? ſi non undequaque ex diverſis Mundi par-

di partibus, in Eccleſiam, in Academiam & Scholas aliquem doctiſſimorum virorum gregem advocaſſet. Rarò certè, rarò invenies Curiam, aut Myſtarum illum ordinem & Collegium: in quo non peregrini ſoli cæliqué clementia, in profitendis Doctrinæ myſteriis, ſuum nobis aërem artemque benignè impertiverit. Hîc ſtylum pono, Reverende Pater, precorque de cælo Deum, ut Tu, qui ex turbulentis Germaniæ procellis in Academiā Friſiorum magno cum deſiderio evocatus, noſtræ Reip. civis diutiſſimè ſoſpes ac ſuperſtes ſias. Vale. *Ex Muſeo Harlingano Cal. Novemb. 1637.*

Ampliſsimo Viro,

D. GVILIELMO STAECKMANS,
Illuſt. Friſ. Ordd. Deputato
IX-Viro.

Franekeram.

AMpliſsime Vir, Quod nunc in turbido Patriæ ſolo imperium teneas, Reip. & nobis gratulor. Hæſit illa in ſuo mari ac motu ſatis nunc diu, tot, prô dolor! procellis & furiis agitata. Res eò devênit, ut ſalutem bonus quiſque deſperet, niſi novo & ſalutari remedio tantis malis ſuccurratur. In Te, Ampliſſime Vir, rem & oculos declinamus, qui rebus dubiis, abſque dubio, auxilium & aſylum futurus, natus non niſi magnarum rerum momentis, & arduis Reip. conſiliis moderandis. Quod olim in juvenili Poëmate, præſago tunc animo, dixi, univerſus de Te Orbis nunc prędicat:

Vnus, qui Regum poſſet ad ora loqui.
Friſica ſplendorem quo duce Pallas habet.

Hoc unicè me reficit ac recreat, quod Tu Vir Cl. luxatis Patriæ rebus, & labenti imperio bono nunc omine, & divini ingenii pharmaco Stator atque

atque opitulator ſubvenias. Abſit adulatio: Citra palpum qui loquor. Te tamen, Vir magne, quod ſcripto conveniam, tua in me & meliores Muſas facit benevolentia. Emiſi in publicum, ſub Illuſtri DD. Ordd. auſpicio, Manuale Philologicum: jam ante ſemeſtre ſpatium bona luce & favore oblatum. In Cauſa eſt Reip. procella & res ſic variæ, quod nihil reſponſi ad Muſas meas manâri:, quod in omni tamen memoria inauditum. Impendi non exiguos ſumptus in prelum & pretium librorum. Veſtri honoris ac Ordinis eſt, ne, quod privato per laborem cenſui accreſcit, cum familiari jactura in publicum erogetur. Abſit, veſtra ut onerem æraria mei æris acceſſu. Decorum, & citra lucrum eſt, ſi honeſtus ille ſudor extra tædium & damna ponatur.

Fata precor, Tu qui Virtute & Pallade clarus,
Virtutem & doctam Pallada ſemper ames.

Vale, Vir Ampliſſime, Doctiſſime. *Harlinga Friſ.* 5. *Non. Maji*, 1637.

Clariſsimo Viro,

D. MATTHIÆ PASORI,

In inclyta Groningæ Academia Philoſophiæ Profeſſori.

Franekeram.

CLar. *Vir*, Gratiſſimas habeo gratias pro nunciata nuper ad me ſalute. Plus, fateor, me juviſſet & affeciſſet præſens colloquium, ſi tempori ad nos veniſſes. Curriculo, ut audio, te expediviſti, nec patiebatur tunc Divi Parētis valetudo, morā diutius nectere. Libens excuſo. Et magni Parētis tui mortē, Cl. Vir, quàm feram acerbè atque invidiosè, per Elegeïam meam, Tibi teſtor. Non potui, nec debui amantiſſimi Præceptoris funus tacito pede præterire. Scio, quàm alij diſertè in

tè in mortuum & manes dicturi. Mihi ſufficit, brevi penicillo magni Muſarum Parentis memoriam ad poſteros tranſcripſiſſe. Hiſce Valere Tè jubeo, V. Cl. & meum erga pios manes affectum benignè conſulere. *Harlingæ* 15. *Decemb.* 1637.

IN TRISTES EXEQVIAS
Clariſſimi & Venerabilis Viri,

D. GEORGI PASORIS, L. A. M. & in Illuſtri Friſ. Acad. Græc. Litt. Profeſſori.

Pieridum Muſis alibi nova Regna reſurgunt:
Muſarum nobis occidit omnis honos.
Et, quondam pleno Friſios quæ fonte rigabat,
Infœcunda ſuis Cyrrha rigeſcit aquis.
Floruimus, retroque ruit Parmeſſidos unda:
Pallida funeſtum Mors Helicona tenet.
Non viles animas rapit, aut ignobile vulgus:
Præcipua Heroum pectora ſternit humi.
Hoc gaudet, ſtraviſſe viros, Floremque Minervæ:
Quo ſolùm placat ſanguine ſe Nemeſis.
Nec ſatis, ingenti proſtratum vulnere Phœbum
Pene ſuos manes deliquiumque pati.
Ulterius gliſcit rabies. Niſi plena cruoris
Non miſſura Cutem. Totum Acheronta movet.
Iamque iterum, poſt tot clades & damna Lycei,
In formidandas ibimus exequias.
Eheu! PASORIS *Magni venerabile corpus*
Inferimus terris marmore ſub gelido.
PASOREM *Mors dira rapit. Vah! impia fata!*
Unus quo poterat Muſa Pelaſga loqui.
Poſteritas mirare Virum: Quem Numina tantis
Ornarunt Titulis Ingeniique bonis.
Si poſſet Pietas ſocia cum Pallade pingi,
Non aliam pingi poſſet in effigiem.
Quas lacrymas, ô magne Virûm, quæ damna Iuventæ?
Plus quàm Cannenſi Friſia clade ſtupet.

Occidit Aonidum decus & tutela Minervæ;
Pars deſiderii maxima Phœbe tui.
Et nos obſcuræ noctis gradiemur in umbram,
Ni melior nobis luxerit axe dies.
Et fruſtrà à Tameſi TVVISSOS, *Galloq́ꝫ* PETITOS
Poſcimus; Incaſſum ſuſcipiturque labor;
Si ſtatuit noſtras Phœbus marceſcere Lauros,
Et fas in Friſiis noctem hyememque pati.
Dii melius! fractoſque juvet ſupplere Maniplos;
Cum Patria & ſtudiis parcite Pieridum.

Clariſſimo Viro,

D. IOHANNI ANSTA, Med. D. & Archiatro Harlingenſi.

Harlingam.

D*Octiſſime Vir*, Pecco in Te, pecco; quod nihil hactenus Literarum à me videris, & tantum paucula de noſtra valetudine per interpretem reſciveris. Multò aliter, nuper in deceſſu ad ſacrum littus, fidem dedimus, toto teſte Oceano. Penes me primùm ſtet culpa, fateor, qui ad ſcriptionem, ſilentii illud diſſidium, prius laceſſere te debeam. Ita eſt, locorum illa intercapedo quanquam familiarem dirimat ſermonem, tamen adjumento Literarum, quod viris doctis commune ſolatium, plurima ex parte jacturam difficilis abſentiæ corrigimus. Nihil cunctaberis, ſcio, in amoris laudabili certamine, nec patiêre à Literis unquam te vinci, qui cæteros benevolentia, humanitate ac gratia præcellis. Fac, quæſo, voti me compotem, Vir Cl. & quando à morbis & morruis quantillum temporis Vacunæ poſſis impendere, noſtro languori atque otio aliquam Literarum medicinam indulge. Vtinam! in veſtra Rep. quid ſalutare ac feliciter evenerit, quo mirificum

noſtris

noſtris auribus gaudium dares. Trahit nos Patriæ voluptas, & terram amplectimur, quæ magna nobis mater. In Batavis, iterum in ſcenam & prædam Mavors. Odit catenas, tantoque erumpit truculentior, quantò humanis precibus fatigatur acrius. Recrudeſcit vulnus nuperum, à Mauris inflictum. Et nunc rurſum movet lacertos, an melius rem Belgicam in tutum ac læta reponat. Tu, ſpero, claſſicum canes de cœlo Deus, qui ex merito & ſuo modulo, Babylonem judicabis. Nam,

Rarò ſceleſtum deſeruit pede pæna claudo.

Noſtra civitas an tui notos & Medicina claros habeat, ignoro. Fando tamen & Literis ad tuas aures pervênit Fama & Nobilitas Foreſtorum: Quos tute ipſe Apelles in illa arte in tantum ſoles extollere. Sed Petrus ille Foreſtus: Cujus Filius mihi proximè vicinus, adhuc in vivis. Vir Conſularis, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

——nulli pietate ſecundus:

Cui Batavus credit Sceptra decuſq; ſuum.

Hìc deſino, vir Cl. & redhoſtimentum peto Literarum tuarum. Vale. *Alcmariæ poſtrid. Non. Martii* 1639.

Reverendo doctiſſimoque Viro,

D. REGNERO BOGERMANNO, Eccleſiaſtæ Harlingano.

REverende Vir, Tuum dolorem & triſte fatum ex animo doleo. Magis, quia benè novi, quàm grave & durum ſit verſari inter mortis illas anguſtias ac timores. Et licet per omnes penè familias contagio nunc ſerpat; ſuum tamen cuique malum, ex ærumnarum illa ſocietate, nihilo lenius. Irritat tanto magis, ſi illos à valetudine dejectos videas, à quibus operam, aut medicinam exſpectes. Tuam verò ſortem & domi tuæ ſtragem tanto plus deploramus, quod publica ſis

perſona, Eccleſiæ ſic uſui, tot numero afflictis ſolatio,& ſalutis,ut ſic dicam, pharmacum: Hoc te hortor, Rev. Vir, in illis ignibus & incendio, animi vigorem ne remittas. Doloris aliquod remedium, patienter & fortiter ferre, quæ cælitùs immittuntur. Deus eſt, qui nos exercet hoc modo ad robur & patientiam. Miſer homo quid repugnet? Quid decreto illi opponemus, ſic valido & ineluctabili? Victima Labiorum eſt opus: quâ iratum Numen emollias. Deum ex animo precor, furoris ſui æſtum reſtinguat, Te nobis & Eccleſiæ incolumem conſervet. Cæterùm à te peto, ternas Literulas in heſternum argumentum exarare ad me velis.

——τὸ δέ μοι κρήηνον ἐέλδωρ, & Vale.

Ex Muſeo meo 2. Kal. Iun. 1637.

Reverendo Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS, V. D. M. Avunculo chariſs.

Neocleſiam.

REverende D. Avuncule, Nuper de adventu nobis addixiſti, firma, ut putabam, fide. nunc nos fallis, & ſpem omnem eripis. Ego & mea Boëthia jam dudum brachia & oſculum vobis porreximus; Sed vano hactenus hiatu. Abſit, mi Avuncule, Fatum aut valetudo gaudium noſtrum diſturbet. Hoc inprimis tempore, quando anni tempeſtas ſic læta & ad itineris captandam occaſionem opportuna. Nolite, Amiculi, tam blanda cœli invitamenta negligere. *Omnia nunc rident, nunc formoſiſſimus annus.* Quando in longum Vos differtis, fruſtra eſt, cælum & ſidera exorare:

Libra dies ſomnique pares ubi fecerit horas.

De me, mi Avunc. abſit cogitatio. Nam preter oculatâ Gymnaſii noſtri curâ, quàm multa me tenet

domi

domi moleſtia; ut undiquaque diſtringor multijugis occupationibus! Etiam nobilium aliquot adoleſcentum educatio meâ hic fide & præſentia nititur. Scilicet,

Rege incolumi mens omnibus una,
Amiſſo, rupere fidem.

Quanquam favor & mea humanitas illam mihi ſarcinam imponat, &, quando velim, tali ſervitio exire poſſim. Sed ita mos viget apud præcipuos Hollandiæ Rectores, ut egregios aliquot adoleſcentes ad convictum & inſtitutionem admittant. Nec recuſo ingenua illa commercia, quando ipſi nullam adhuc ſobolem præ oculis habemus. Sed Scholæ noſtræ inprimis emolumento: quam totis nunc viribus erigere ſtudemus. Et cum Antigono, *regnum noſtrum nobilem eſſe ſervitutem*, haud ignoro. Hoc, quod de Geldria nuper ad me perſcribebas, non video, quid ad meliorem Spartam, aut ſortem meam. Nedum nobiliſſimæ Alcmariæ ſic piget; aut quicquam tale arridet. Hoc animo infixum immotumque ſedebit: *Malo me quærat Reſpublica, quàm ego Rempublicam.* In quo ſiſto, mi Avuncule, & tamen, quò fata trahunt retrahuntque, ſequemur. Vos alta voce Valere acclamo. *Ex Muſeo Batavo, Alcmariæ. Pridiè Pentecoſt.* 1639.

Doctiſs. Præſtantiſsimoque Viro,

D. ANDREÆ AB HEEMSTRA, I. V. D. apud Harlinganos Secretario & Scholarchæ.

C*lariſsime Vir*, Agitur in Curia de reformando Ordine Scholaſtico; & bono Viro ſupplendus, qui vacat hic locus. Partium mearum duco, noſtris Muſis Te Adjutorem vocare: qui hactenus bona cura & voluntate in illas ſtetiſti. Tua & Filii tui quamplurimùm intereſt, ut illa provincia bona fide & induſtria adminiſtre-

tur. Poſſet rem egregiam hoc tempore Reſp. agere, ſi Iuventutis ſuæ cuſtodiam diligenter attendat. Quæ ſi negligatur, & ratio erudiendæ pubis parvi fiat, magnarum etiam rerum momenta vacillant & corruunt. Foret utile & commodum valdè Civitati Veſtræ, ſi infimæ Claſſi meliùs proſpiceretur. Opus eſſet duos vocare illo loco: cum unus tanto muneri vix ſufficiat, niſi animum planè gerat infractum, & non defatigandum. Cum propter diſcipulorum copiam, tum ingenii & profectus varietatem, quæ apud illam juventutem invenitur. Puto, honeſtis remediis, leve hoc in pecuniis damnum cenſus noſtræ civitatis reſarciet. Dabit ingens fænus ac fructum non mediocrem locata in Muſas liberalitas. Teſtabitur omnis ævi memoria, bene poſitum beneficium, quod Literarum ſit nomine. In hoc finio Clariſs. Vir, & quicquid bonarum artium cauſa feceris, centùplo Reſp. cum fructu recipiet. Vale Vir pręſtantiſſime.
Harlingæ prid. Kal. Maji, 1637.

D. REINERO NEVHVSIO, I. V. D.
S. P. D.

BERNHARDVS SCHOTANVS,
Iuris Profeſſor Primarius.

Harlingam.

DOctiſſime, Neuhuſi *Cujus fidei commiſeras, optima illius fide, cum doctiſſima Poëmata; tū illuſtria juventutis tua exercitia accepi. Gratias habeo ſingulares pro inſigni hoc munere, quod ab excellenti, ſupra hominum ſortem erecto, ingenio æſtimo. Oſtendis in eo non tantum vim Genii politioris, ſed & judicii quandam maturitatem, ante annos & uſum rerum. Obruis nos omnes laudum cumulo, & æternùm tibi Academiam noſtram firmiſſimo amoris glutino devincis.*

Macte iſthac veterum Nyenhuis virtute; tenacem

Magnè

Digitized by Google

Magni propoſiti non invida lingua malorum
Te moveat: ſeri videant præclara nepotes
Ingenii monumenta tui. Sic itur ad aſtra.

Me quod attinet, nimis in me explicas favoris tui vela, nomenque meum ſecundo inter doctos vento promoves. Nimis, inquam, tribuis, & poetica oberras licentia. Quod æquo parum animo perferrem, ſi non ab egregio in me animo profecta hæc ſcirem. Si poſſem, veriſimile reponerem. Sufflaminandus eſt fervor, cum copia deſint.

Flebilis, infelix invita ſilentia Muſis
Vena meis mandat, quoniam ſuccumbere certa,
Non certare audet; ſtudet abſque dolore latere.

Magnis nominibus te Amicis meis adſcripſi, & tuis adnumerari quoque cupio: nec de te, pro mea tenuitate, benè mereri unquam deſinam. Deus Opt. Max. te diutiſſimè bono publico ſoſpitet. Dabam raptiſſime 5. Iulii, 1634.

Clariſſimo Viro,

D. EDONI NEUHUSIO, P. Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

C*lariſſime Parens*, Dum nuptias & amorum delicias ſperamus, ecce Fatum intervenit: quod ſacra noſtra Connubialia turbat ac contriſtat. In primo gaudiorum introitu, ſalutare mox monitum de rebus humanis: quàm illæ fluxæ & ambiguæ. Et nos, qui de amorum illo melle nunc bibimus, ne ſempiterna gaudia, & quaſi cælum ſine turbine nobis imaginemur. Quaſi nulla aconita, nihil durum & aſperum inſit conjugali illi vinculo. Vtinam! una hæc nubes, quæ vitæ noſtræ Hilaria ſuo luctu ac tenebris dilueret. Bonus Adoleſcens, Viduæ matri unica ſoboles & ſolatium, quàm ſperavit ad noſtras tædas & gaudia! Nos dum Sponſos ſalutat, læta voce felicia precatur; en à tergo Nemeſin. Vix dies abit, lectulo miſer

ſer affigitur, vitæ neciſque dubius. Poſtridie morbo ingraveſcente, & ſubitò proſerpente per pectus veneno, inopina morte exſtinguitur. *Victima nil miſerantis Orci.*

Eheu! ſic iterum tenebroſis clauditur umbris,
Qui Flos, quique decus nobile pubis erat.
Qui, poſt Pieridum Muſas ſudore ſubactas,
Strenuus armatam Pallada miles amat.
Eheu! nunc GERRARDE *jaces ſub marmore duro,*
Sic Martem ſubigit mors truculenta tuum.
Te gelidi Cineres, te pars inviſa Cupreſſi,
Nunc tua lethiferum pectora frigus habet.
Vermibus eſca jaces nigris adoperta tenebris,
Sub tumulo putris vermibus eſca jaces.
Invida mors ſine lege rapis juveneſq; ſeneſque,
Intrepidumque pudor Tartara nullus habet.
Heu! Cognate tuos ſuſpiro carmine Manes,
Supplicium nobis mors luet inde ſuum.
Ira furorq; meus Stygiis armata Cicutis
Vltrices acuunt in fera fata manus.
Chare Deo Iuvenis! poſt dira pericula Mundi,
Nunc frueris cœlo contuituque Dei.
Cum Iove, cum Superis æterna veſceris aura.
Hic feculenta bibis mortiferumque ſalum;
Illic Angelici ſtipant tua terga Miniſtri,
Conſortes magni Numinis inter ovas.
Nos mala damnoſi patimur ludibria Mundi;
Te fortunatum vita perennis habet.
Gratulor æthereos tibi nunc GERRARDE *triumphos,*
Divitias animi deliciaſque Poli.

Et quod triſte & dolendum, mi Parens, funera hic habemus quotidiana, nulloq; tempore mortes & morbi ſævierunt magis. Nulla civitatis noſtræ regio, quam non infecerit dira lues. Vix familia, quæ metum aut plagam non ſenſerit. Nos etiam in incendio & mediis hic ignibus. Niſi divina nos aſſerat manus, imminet fatalis hora præ foribus, & mox capulo erimus decus. Parce Magne

gne Deus, parce; & noſtri amoris ac juventæ miſerere. Vos Leoverdiæ eadem exercet Nemeſis. Rapit multos invida Dea, cum quibus interit Ius & æquum. Et quod Mundo eſt pœna; Sentina & fex hominum perennat: quaſi ſui ſimilibus venenum non noceat. Precor in cœlis Deum, poſt graves illas tempeſtates, ille Opt. Max. ſoſpitator benè optimeque nobis velit. Vale mi Parens. *Harlingæ ad Salum. Prid. Non. Auguſti.* 1636.

Conſultiſsimo Viro,

D. RICHÆO ECHTENIO, I.V.D.
Coram Curiâ Provinciali Advocato graviſſimo, Amico veteri.

Leoverdiam.

C*Onſultiſsime Vir*, Qui poſſibile meum in Te deſiderium & affectum amplius celem & abſcondam? Cùm tam blandis & amicis me verbis per Cupidinem meam ſalutaveris; penè oſculum & amoris brachium mihi injeceris. Sanè agreſtis forem & planè indignus amantis nomine, ſi non tuum in me amorem libentiſſimè agnoſcerem & profiterer. Sæpius apud me conſtitueram Cl. Vir, aliquid ſecretò tuis auribus de amorum illo melle & amarore concredere. Prohibuit verecundiæ indoles & pudor mihi nativus. Amore ſic palam vulgato, nihil quicquam celabo, aut ſilebo. Eſt, quod meritò multum mihi gratuler de ſingulari tua in me propenſione & ſincero affectu. Qui non uno nobis loco utilis ac neceſſarius. Hoc inprimis non parum me exhilaravit, quod Sponſam meam, noſtram animam & corculum tanto tuo amôre & affabilitate complexus fueris. Tam jucundam mei memoriam feceris; illam ſororem, me tibi fratrem adoptaveris. Faxit Deus benignum noſtro amori eventum, ut cepta ſemel

ſemel utrinque benevolentia, fides, candor, diu feliciterque perennet. Mihi profectò nihil jucundius, nihil dulcius & acceptius, quàm bonæ fidei & notæ hominibus probari. Talem, Vir Cl. perſonam, ſine palpo loquor, in Friſia Tu agis: qui à bonis omnibus propter ſingulares animi tui dotes laudaris, honoraris.

——in quo veteris veſtigia recti,
Et mores video ductos meliore metallo.

Neque parum ab hac luce & decoro, meo, ut ſpero; nomini laudis accedet, qui in tuam, ſi volet Deus, familiam & familiaritatem adſciſcar. Hoc nunc tui officii ac beneficii, Vir Clariſſime, noſtros amores juvare, ut in tranquillum portum deveniant. Novi quid accidit! Homo Iuvenis amavit, utrinque ſecreto amorum igne religioſè & fataliter accenſo. *Stultaque mens nobis, non ſcelerata fuit.* Vnus alterque parens, quem offendimus, Liberi. Præter unum & nudum hunc amorem ab ipſis incunabulis chari & obſervantes. Nunquid una nobis noxa remittenda? *οὐδεὶς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ.* Deus aliquis amoribus ineſt, qui ſacra hæc jungit, & ſociat conjugia. *Iucundiſſima eſt amicitia*, inquit Cicero, *quàm morum ſimilitudo conjugavit.* Nobis illa evenit; Deo ſit gratia; Et volo, rectius Venerem inveniſſe non potui.

Non ſic Echtenium reſovet ſua Margaris ulnis;
Boëthia Neuhuſium, quàm colit uſque ſuum.
Margaris Echtenium multis virtutibus ornat,
Boëthia Neuhuſium dote fideque beat.
Margaris Echtenio ſed noctem & baſia donat,
Boëthia Neuhuſio baſia blanda negat.
Vos ſocio innexi Thalamo requieſcitis ambo,
Nos rigor, & multo frigore torquet hyems.
Hoc agite ingenti ſtudio curaque fideli,
Complexu capiat Boëthia Neuhuſium.

Quò eo & vergo miſer in amoris rota? Ignoſce amori noſtro, in foro & fluctibus occupationum tuarum.

Digitized by Google

tuarum. Tuus ille Genius & amica ſalutatio ad hoſce ſales me provexit. Vale Vir Cl. cum Tua, *εἰς αἰῶνας. Dabam Harlingæ* 14. *Kal. Feb.* 1636.

Ornatiſſimo Iuveni,

ALEXANDRO NEVHVSIO
LL. Stud. Fratri ſuo.

De Veterum Aſylis,

Franicam.

AMantiſſime *Frater*, Quod cum valetudine, ut ſcribitis, bene Vobis conveniat, hic in Batavia ſingularie me recreavit. Etiam de illo mirificè me affeciſtis, quod de antiquitate Romana, quam hic nuper in pomærio egregiè diſcutiebamus, nondum memoria veſtra exciderit. Quæ ut paullo fuſius, ad uberiorem intellectum, ſtylo meo explicem, obnixè à me poſtulare videmini. A Romuli aſylo initium tunc cepimus: quã telam ſi libet pertexere, aures animoſque advertite. *Aſylum* locus eſt conſecratus, qui delicti reos ſupplicesque aut Deorum Numine, aut Principum Majeſtate tutos præſtat ab omni violentia. Appellationem à *συλάω* trahit: quod eſt diripio. Vnde *ἄσυλοι* tuti: & *ἀσυλία*, immunitas, ſive libertatis jus. Vnde Plutarchus *Tribunum pl. ἄσυλον*, hoc eſt, ſacroſanctum & inviolabilem dicit: cui nemini manum injicere fas erat. Hæc ſupplicum receptacula primi inſtituiſſe feruntur *Herculis nepotes*, qui veriti hoſtium, quos avus afflixerat, impetum & vexationem, Athenis *Aram miſericordiæ* conſtituerunt; addito edicto, ut nemo inde, ſine piaculo, abduceretur. Poſt illos *Græci*, *Ægyptii*, *Thraces*, aliique in ſuis civitatibus Aſyla aperuerunt, in quibus liberum facinoroſi receptum haberent. Illos imitatus Romulus, Romæ Aſylum conſtituit: quò contractis undiquaque facinoroſis con-

Digitized by Google

ſis conditam recenter urbem civium copiis abundantem fecit. De quo Virgilius:

Hunc lucum ingentem, quem Romulus acer Aſylum
Rettulit. Et Naſo:
Romulus ut ſaxo lucum circumdedit alto
Cuilibet, huc, dixit, confuge: tutus eris.

Hanc ſupplicum & ſuppliciorum immunitatem pleræque gentes Templis ariſque Deorum conſecratis adſcripſerunt. Hinc Comicus: *Ego interim hanc aram occupabo.* Et Poeta Heroicus: *Ingens ara fuit, &c.* Ex eadem mente Græcus: Εἰς τὸν Θησεῖον καταφεύγοντες ἀσυλίαν εἶχον Ejus generis perfugia fuerunt *Neptuno in Tænaro*; *Veneri in Papho*; *Iovi Servatori in Ithaca*; *Minervæ in arce Spartana*: quo fugiens Pauſanias Rex, proditionis reus, obſtructo aditu, mori inedia coactus eſt. Idem jus Deorum habuere *Statuæ* & *Imagines*: ut in Ægypto Oſiridis; in Syria Apollinis. Etiam *Heroum ſepulchra*, Athenis Theſei; in Sigæo Achillis; in Rhetœo littore Ajacis. Neque minus *Inſulæ Civitateſque* Deorum natalibus cultuque nobiles: qualis erat *Calauria*, Neptuno ſacra, quò, victis ab Antipatro Athenienſibus, fugiens Demoſthenes à regia violentia tutum ſe præſtitit. Qualis *Samothracia* Perſei Macedonum Regis perfugio nobilis; in Lybia Δούλων πόλις, ſervis, ſi vel lapidem eò deportaſſent, immunitatem præſtans. Hæc ſuppliciorum immunitas, obſoleſcente Idolorum cultu, Chriſtianorum templis conceſſa eſt: quam tanti fecit *Gothorum Rex Alaricus*, ut, Roma occupata, ſalvos eſſe Chriſtianos voluerit, qui ad Apoſtolorum ædes confugiſſent: aurum etiam è Vaticano abſtractum reſtituerit. *Auguſtinus* Africæ præſidem excommunicavit, quod facinoroſum hominem à ſancto templi loco abſtraxiſſet. Inde creſcente Paparum imperio jus refugii ad *Monaſteria*, *Cœmiteria*, *Sacerdotum domos* divulgatum eſt. Tracta hæc eſt à vetere Roma conſuetudo, *teſte Gellio lib.* 10. *cap.* 15. ubi ſi quis Dialis Flaminis ædes introiiſſet, aut ad pedes

des ejus ſupplex procubuiſſet, à vi immunis erat. A Deorum pulvinaribus ad Principum Majeſtatem jus illud tranſiit, quorum *Statua* miſeris fuêre perfugium, ut eò venerabiliores ipſi ſanctioreſque populo viderentur. Apud *Alexandrinos* olim, ſervi ad Ptolomæi Statuam confugientes nexu ſolvebantur. *Theophilus* verò Imperator tantùm Mariæ, Filiæ defunctæ, honoris tribuit, ut illius ſepulchrum cujuſcunque flagitii refugium præſtiterit. Sed in caſtris quoque *Principum ſigna*, & in itinere proficiſcentium *Rheda*; *&* *Regum domus* tutum etiam nunc miſeris receptum præbent. Romuli verò Aſylum omni ſine diſcrimine turbæ patebat: ideoque totius Italiæ ſentinam, quotquot aut fortuna egentes, aut vita turpes & exiſtimatione damnati eſſent, in urbem ſuam contraxit. Quod meritò arguit Satyricus Sat. 8.

Et tamen ut longè repetas, longeq́; revolvas
Nomen, ab infami gentem deducit Aſylo.

Divina lex Aſylorum jus & poteſtatem limitibus circumſcribit arctioribus, neque quemquam admittit, niſi quem aliena à peccatis mens ſtudiumque excuſat. Ideoque *Exod.* 21. abſtrahi ab altari ad ſupplicium jubetur, qui per induſtriam proximum occiderit. Sed Ethnici etiam Principes nimiam circa Aſyla licentiam & impunitatem abrogarunt. Quorum *Auguſtus* Dianæ Epheſiæ templum refugii jure ſpoliavit, ne ſpes impunitatis flagitiis conſciſcendis anſam præberet. Quem ſequutus *Tiberius*, ut Tacitus author eſt, *lib.*3. *Annal.* cum templa peſſimis ſervitiorum, reiſque criminum capitalium compleri audiret, jus omne moremque Aſylorum abolevit. *Iuſtinianus* verò Imp. coercita immunitatum poteſtate & amplitudine, juſtam Aſylis medicinam fecit, cum homicidas, adulteros, virginum raptores refugiorum privilegio ſpoliavit. Ius igitur Aſylorum non datur injuriam facientibus, ſed paſſis. Et rectè de toto Aſylorum jure *Philo Iudaus*: Hominibus nefariis

ſariis in fano jus Aſyli non debetur. Satis de Aſylo. Si plura ejuſmodi à me petas, fac mentionem in Epiſtolis. Quando ad talia otium, non deſinam ὀρέξιν tuam ſcitamentis ac dapibus Romanę iſtius ſapientiæ excitare. Nunc Vale, & valeant noſtri omnes, quos amo. *Alcmariæ in Gymnaſio Kalendis Julii, 1639.*

Ampliſsimo, Prudentiſsimo

MAGISTRATVI HARLINgenſi, S.P.

VIs omnis hominum, Ampliſſimi Viri, in animo & corpore ſita eſt, quorum alterum cum immortali Deo, alterum cum brutis animantibus nobis commune eſt. Quo magis veſtra prædicanda eſt induſtria pietaſque, Domini, qua de beato Patriæ ſtatu, adeoq; publico ſoliciti bono, Scholam in veſtra Civitate aperuiſtis, in qua tanquam in officina atque Palæſtra, juventutis veſtræ animi ad liberalium artium ſtudia moreſque honeſtos exercerentur. Animus volendi intelligendique functione defungitur. Voluntatem ex primæva labe vitium trahentem bonorum morum præcepta informant, veteris memoriæ exempla ad honeſtatem inflectunt, magiſtrorum vita & induſtria, tanquam prævia face, in regiam virtutis viam deducit. Intelligentiam imperatrix artium Logica excolit & gubernat, rationis officium recte adminiſtrare, veritatem & falſitatem manifeſto diſcrimine ſecernere, illam firmis rationum momentis ſtabilire, iſtam eiſdem ſubvertere, in omnibus decentem ordinem & compoſitionem ſervare docet. A Ratione Oratio profluit, cujus puritatem Grammatica; Ornatum & elegantiam illa fori templorumq; Magiſtra, Rhethorica præſcribit. Quibus quidem in ſtudiis progreſſum quem fecerimus, de eo, elapſis nuper

diebus

diebus ſpecimen aliquod & tyrocinium dedimus. Hoc qualecunque eſt, Veſtro Nomini, Spectatiſſimi Viri, inſcribimus, ut de eo teſtaremur, quàm nobis grata acceptaque ſit illa, per Vos, data nobis exercendæ Rationis & Orationis commoditas: cujus memoriam, ſi porrò grati ſitis, nulla unquam oblivio in pectoribus noſtris abolebit. Revertatur itaque ad Vos, unde profectus eſt, hic veſtræ beneficentiæ fructus, frugumque noſtrarum primitias, quæ Diis antiquitus conſecrabantur, benevolis animis accipite. *Ex Muſeo meo, Anno æra Chriſtianæ* 1637. *Kal. Maji.*

Ampliſsimo Viro,

D. MEINARDO ÆTSMA,

Graphiario in Senatu maritimo.

Doccetum.

S*Pectatiſſime Vir*, Ego Fratris; Tu Filii tui cum ſanitate ſalutem deſideramus. Inprimis, cum ipſorum Literis ſic longum ſit ſilentium, nobis *ſpemque metumque inter dubiis.* Magis illorum nos urget exſpectatio, atque acrior pungit ſollicitudo, quia nuper

Scyllæam rabiem experti ſcopuloſque ſonantes.

horreo tremoque, & ut cum Comico loquar, corculum mihi ex metu adſudeſcit, quoties periculoſum hoc iter, & vim Neptuni ſic violentam tacitus mecum expendo.

——ita perſurit acri
Cum fremitu, ſævitque minaci murmure pontus.

Plus me tenet, inquam, & torquet de noſtris certa notitia: quod ipſe maria & vitreas illas Deas reformidem, vix, prenſa nuper tabula, vitæ ſervatus. Non unum aberamus à morte digitum, cum, gravi exorta tempeſtate, ex Anglia in Galliam trajiceremus; *θάνατον καὶ κῆρας ἀλύξας*, ut inquit ille,

Nereïdes

Nereïdes Nymphæ, tumidos compeſcite fluctus,
Et rabidis ventis, Æole, pone modum.
Ut non cum lento circumjactentur Ulyſſe,
Altera nec noſtram ſpem remoretur hyemis.
Sic tibi diva Thetis meritum indicemus honorem,
Sic cadet ad noſtros hoſtia multa focos.
Dii faciant, Vir Magne, tuis ſe Filius ulnis
Implicet, ante tuum clauſerit urna decus.

Vale, Vir Ampliſſime, & ſi quid certi innoteſcat, quamprimùm ad nos perſcribe. *Harlingæ x. Iulii 1635.*

Filio Suo, R. Neuhuſio

EDO NEVHVSIVS P.

Cadomum-Gall.

FIli dilecte, *Scripſi nuper per Mercatorē ad te Cadomum, de oblato Sch. Harling. Rectoratu. Scribo per eundem iterum: & eodem tenore per Ecc. Mellingam, qui mortuo Patre in Galliam contendit. Vocatus es in diem Iacobi, poſt quem ne multam facias moram noſtrâ & Patronorum intereſt. Vocatio eſt honorata, locuples, tyrocinium egregium in hac juventute, in quo poſſis ad majora emergere. Promotiones hic ſunt difficiles, adeo ut te omnes felicem prædicent, qui ſubnixus totius Curiæ Provincialis gratiâ, & divino inprimis auxilio, tam honoratam vitæ conditionem juvenis abſenſque impetraſti. Ego magno gaudeo gaudio, poſt vivus ſoſpeſq; te promoveri video. Neque aliam quidem principio in hac tua fluctuatione conditionem optare potuiſti: in qua, pro tuo arbitrio, ad quam velis Spartam, applicare ſtudium poſſis. Itaque veni lætus, ſoſpes, alacer ad illos, qui te exſpectant. Noli verò longas facere moras, ne fidem fallamus, & gratiam bonorum perdamus. Eſte verò cauti, & exſpectate navium præſidia, ne noſtram fauſtitatem interpelletis triſti interceptione Myoparonum hoſticorum. Amſtelodami inviſe Ianſſonium, qui nunc eſt in meo Theatro aperiendo. Belgæ noſtri omnem ad Moſam ditionem feliciter occuparunt;*

parunt; ſed damno maximo Erneſti noſtri, qui ſclopi ictu oppreſſus mortem pro patria oppetiit. An ſcribam funebria, dubito, languente vena. Tua debebant eſſe hic partes. Vale in reditum incolumem, mi Fili, & veni ad nos ſoſpites ſoſpes. XI. Iunii 1632. Leoverd. Friſ.

Nobiliſsimo Viro,

D. ADAMO FORESTO, M. D.

Cl. Conſuli, & Patrono ſuo.

Cum delicias hortenſes miſiſſet, &c.

DVm patimur priſcæ Vates diſpendia Floræ,
Dum ſolùm nobis area nuda patet;
Et, duras inter ſilices, vix ſolis aprico
Hic fruimur, vitis parvaque inumbrat humum;
Tu, totos habitans ramis felicibus hortos,
Alcinoum præſtas, pauperiemque levas.
Et quos fœta Tibi fœtus Pomona miniſtrat,
Hæc nobis fœtus parturit alma ſuos.
Ingentes etiam nobis nunc Piſcibus unda,
Et toto ludit ſquamea turba ſalo.
Scilicet, à pleno manatis flumine rivi,
Si Mecœnati fons fluat uber aquâ.
Dii faciant! Sit pulchra Tibi Vindemia laudum,
Floreat & Pilyos læta ſenecta dies.

Ex tempore XII. Kal. Auguſti 1639.

Reverendo Clariſsimoque Viro,

D. MEINARDO SCHOTANO,

Doctori & Profeſſori Theologo.

Franekeram.

R*Everende Vir,* Literas tuas puro melle & amore ſtillantes accepi. Meum in illis Genium, ſuſpenſa parum ſevera Themide, refeci.

D Adeo,

Adeo, ut in Hyblam apud Muſas & Gratias raptum me viderer. Nihil mihi jucundius & delectabilius, quàm à te, tanto virtutis & Literarum Antiſtite ſic amari & ſalutari benigniter. De tuo reditu, non ambiguo, ut vides, fui animo, & ipſum, ut ſic dicam, oraculum fefellit. Hoc ſolidum mihi attulit gaudium, quod, quo longius abfueris, hoc tutior & lætior ad tuos redieris. O! quam oppidò paucos tui ſimiles habes. Vnum menſem domo ac penſo abfuiſti, & putas Metonis annum abiiſſe, aut nos in Friſia omnes cum Muſis obiiſſe.

Sic ſua divinis oblectat tempora curis;
Sic calet in Muſas mens animuſq; Viri.

Valetudini tamen præ cæteris conſultum debuiſſet: ſi fortè illic loci tuo morbo Æſculapium reperiiſſes. Niſi fortè, pro zelo tuo & ſpe bona cælestium, humana omnia deſperes, tantùm divina exſpectes. Hoc tamen homines ab ortu & ſorte noſtra trahimus, remediis adhærere terreſtribus, orbem & utrumque ſolem permeare, medicorum impulſi fama & nomine. Tu ſolo fidens & fretus numine, Machaone illo divino, de ſuperis auxilium attendis.

A D*omino melius certam ſperare ſalutem;*
Hic non fallibili vulnera ſanat ope.

Quod ſupereſt, Rev. Vir, partem Libelli mei ad te mitto, qui ſub prælo Ianſoniano, & nunc propediem lucem aditurus. Iuventuti noſtræ hoc opuſculum elaboravi, utile, ſpero, & jucundum. Quod ſi viſum quoque oculato tuo judicio, qui Apelles de hiſce lineis judicare potes, parvo Epiſtolio hoc meum Manuale Philologicum, quæſo, inſignias. Vale Vir Rev. Clariſs. *Ex Muſeo meo Harlingæ* 6. *Kal. Iulii* 1636.

Doctiſ-

Digitized by Google

Doctiſsimo Clariſsimoq; Viro,

D. IOHANNI IAQVET,
Philoſ. & Med. D. Græc. Litt. in Illuſtri Acad. Cadomenſi Profeſſ. Regio.

Cadomum-Gall.

C*Lariſsime Vir*, Iterum ad Gallos me vocas, ut extra Patriæ nunc eam cancellos, qui me integra fide & functione noſtratibus addixi. Crede, non in illa regionis amœnitate ſic loton guſtavi, ut foras & peregrè nunc amplius cogitem. Perquàm benignè tamen facis, Cl. Vir, hac tam amica invitatione quæ ex intima tibi cogitatione proficiſcitur. Neque parum me delectat recordatio amicitiæ veteris, quam ſingulariè nunc in Literis tuis repræſentas. Videor quoque mihi recognoſcere hodierno die ſingularem illam neceſſitudinem, quâ olim inter nos viximus. Et quaſi reguſtare ſuavem ſermonem, quo mirificè me erudiviſti, cum primùm ad converſationem tuam me admitteres. Per fidem loquor, toties mihi titillet animus, quando hæc priſca mecum cogito, & eruditos illos lepôres, quibus ſic affatim ſcatet tuus animus. Vellem nata ſemper ſub manum occaſio, ut ultro citroque amoris officia exequeremur. Et quos honeſto ſemel auſpicio affectus conglutinavimus, frequentibus alloquiis, ſicut vivo quodam alimento paſceremus. Nunc eheu! toto dividimur Oceano, & niſi per vitrea illa Nereidum regna via patet. Odi vagos illos fluctus, qui vel ſola cogitatione me totum perterrent ac frigefaciunt. Vtinam Belgis ſic bellum feliciter ſuccedat, & benè vortat iſta, quam cum Galliis pactionem & ſacra ſuſcepimus, ut per Morinos, per Grudios, domita tandem Brabantia, liberè ad

Digitized by Google

Vos licitum commeare. Bona initia: quæ ſi gradatim ſic proſerpant, ſpem foveremus vicinitatis magis propinquæ. Vt cum Græco tuo loquar: πᾶς ἂν ἀνέρρίφθω, κύβος. Deus in melius hæc vertat, Germania pulchre quoque ſuccedit, veſtro Rege & Deo authoribus. Vtinam! illi genti armorum quies, tot bellis & cladibus confectæ.

Pax optima rerum
Quas homini noviſſe datum: pax una triumphis
Innumeris potior.

Illis præſertim, quos jam tot in annos Mavors vexavit. Quos ſæva & ſcæva illa Dea omnibus infortunii procellis miſerè exagitavit. Spero, res illa in Lotharingis monſtri quid alet, noſtro & Galliæ bono. Princeps pari molimine res magnas affectat. Si porrò militet æther, ſuperbè victores erimus. Cui voto, Vir Clariſs. ſubſcribere & annuere Vos velim. Simul longùm & bellè vivere ac valere. *Ex Friſiis* 1635. *Kal. Iun.*

Clariſsimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P. Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam;

CL. *Parens*, Literæ Alexandri Fratris, itèrum prô dolor! de incommoda valetudine ſignificarunt. Nos omnes in magno de te dolore & commiſeratione fuimus, parte aliqua ægri. Veris hæc ſunt initia, & nova humani corporis temperies. Reliquos anni menſes, ſpero, habebis mitius ac melius. Hanc ægritudinis fecē ſibi hyems vendicat, venis nunc à morbo repurgatis. Nos cunas & curas protollimus & mediocriter valemus. Boëthia mea acerbas habuit primitias. Nec mirum. Antè nunquam guſtaverat de illo felle & flumine. Faxit Deus, ne tali iterum fato fœtum nobis

nobis pariat. Dominus Vierſenius ſuos amores hic bibit:pleno calice. Sanè, non video, quid illic curarum & amaroris. In nuptiis tam votivis & ampla fortuna. Humana tamen, & ad metum & metam ſuam properant. De illis hoc præſagium: Cælum in terra habituri.

Virtus, Suada, Venus, Pallas, Dis Copia jungunt
Fœdera. Proſperitas altiùs ire nequit.

Pro lepore gratiam habemus. Tempori ad nos venit, quamvis non inter læta & lepôres. Nos illo ære brevi nos exſolvemus, quando aliquod delicium à vicino mari. Vale, mi Parens, Vale. *Harlingæ poſtrid. Id. Mart.* 1637.

Ampliſſimo & Conſultiſſimo Viro,

D. MATTHIAE A VIERSEN, I.V.D. Illuſt. Reip. Friſ. Senatori.

Leoverdiam:

AMpliſſime D. SENATOR, Nuper in legatione ad Batavos, quod multa ſalute nos impertieris, meritò lætor, & gratiam habeo. Illud unicè nobis deſiderium in tranſmarino hic ſolo, dulcem aliquando ſalutis miſſionem à Patria & Principibus viris accipere. Multo tamen majore hilaritudine me onerabis, Vir Ampliſſime, quando interdum in literis tui in me affectus viva & vetus illa imago eluceſcat.

Dicta ſalus auras petit, & prætervolat aures:
Plus juvat à tanto Iudice ſcripta ſalus.
Et coram Muſis lætas depromere voces,
Cum ſua ſolenni claudimus ora Vale.

Me quod attinet, ubique locorum circumfero veſtræ familiæ ornamenta ac merita: quæ nec temporum vetuſtas, nec ulla ingenii noſtri unquam obliterabit oblivio. Nec aliter à piiſſimo parente hæredes inſtituti ſumus, quàm in rem

Digitized by Google

ſuam & amicorum fidem: quam unam, dum vita ſinebat, ſupra omne peculium & opes æſtimavit. Tibi, præ cæteris, A. V. legato obſtringimur, primùm jure & loco ſolvendo: qui meritò in legitimam nobiſcum portionem ſuccedas. Accipe læta, quæſo, fronte Teſtatoris ſupremam voluntatem, ac nos in illa imagine, quæ olim tuis oculis & Genio in tantùm placere potuit, benignus intuere. De Alcmaria ſi me rogas, A. V. Immane quantùm! Leoverdiâ illam amo magis. Totus in ſilentio & tranquillus hic ago, citra invidiam ac partium illa ſuffragia. Gymnaſium noſtrum pulchrè aſſurgit, & in famam ſe parat, antiqua illa labe deterſa. Verè candidæ Muſarum fores. Et quod Reip. magnum ſtabilimentum, Philoſophi hic regnant; Viri authoritate graves, dignitate eminentes, eruditione præſtantes.

Magnam queis mentem animumque
Delius inſpirat Vates.

Si illo ſemper clavo, doctrinæ & prudentiæ, Reſpublica regeretur, non in tot ſyrtes & ſcopulos impingeretis. Eruditis dictatura debetur; in vulgo non conſilium, non ratio: quod aut ſervit humiliter, aut dominatur ſuperbè. Hic ſiſto, & Te, Ampliſſime Vir, qui Friſiorum & Amicorum ocellus, longùm ſalvere jubeo. *Dabam in nemore Alcmarienſi* 1639. *Kal. Iunii.*

Clariſsimo Conſultiſsimoq; Viro,

D. MARTINO VVIBINGHA, I. V. D. & Profeſſori facultatis Iuridicæ.

Franekeram:

Conſultiſsime Vir, Quod me arguas de intermiſſa multoties compellatione, hoc amoris indicium interpretor. Iudicas familiarium amico-

amicorum eſſe officium, mutuis affatibus ſe aperire, & nihil ad colendum amicitiæ illum agrum intermittere. Moram igitur tam diuturnæ abſentiæ ferre patienter non potes: quaſi præter morem ſiat & amorem, pertinaci amplius ſilentio indulgere. Erras, Cl. Vir, erras, ſi unquam tui immemorem putes Neuhuſium: qui fide & mente ſincera ęternùm te proſequor. Non ſum ille, quem ſic dira teneat malignitas, ut te de meis cogitationibus exſtingui patiar. Pileo, Libertatis illo inſigni, tempora mea ornaſti, in patria nuper Academia. Egone tam rudis & ignarus ſiam, meo Tu unquam animo exire, aut excidere poſſis? Vereor in ſervitutem me redigeres, obliterata tam præclaræ rei memoria. Raró quidem Franekeram excurro, domi ac in Schola aſſiduè occupatus. Aut ſæpè ſic res & ratio urget, quando iter facio, ut deflectere de via non poſſim. Faxim tamen, illam mihi noxam remittas, quam hiſce quoque literis expiatam nunc volo. Omnem deinceps impendam operam, quando ad manum occaſio, nullum in te colendo tecumque colloquendo, officium intermittatur.

Dum res, & ætas, & Sororum
Fila trium patiuntur atra.

Etiam, quod placet, liberè de meo capite ſtatuiſti. In Forum me vocas, & extra Scholarum tenebras, ut eam in ſolem magis & publicos oculos. Non ſperem, Cl. Vir, ſic novercali me natum ſidere, ut annos & vitam hic finiam in pulvere, & tam parva meſſe. Vtinam aliquando ſic agatur mecum benignè, ut pluſculum exerere me poſſem, & vires ingenii differre magis ac diffundere. Interea, quã Spartam primò ac ultrò ſum nactus, fide, cura, induſtria ornabo, ne quid Conſcientia noſtra capiat detrimenti. Illo Pindari me conſolor: θεοῦ δείξαντος ἀρχὴν, οὐδὲν δὴ τὸ κονύον. Veſtra Academia iterum afflicta? Boni Viri paſſim de ſcena abeunt. Vtinam! non omina hæc ſint ævi deterioris. Quod

ſuam & amicorum fidem: quam unam, dum vita ſinebat, ſupra omne peculium & opes æſtimavit. Tibi, præ cæteris, A. V. legato obſtringimur, primùm jure & loco ſolvendo: qui meritò in legitimam nobiſcum portionem ſuccedas. Accipe læta, quæſo, fronte Teſtatoris ſupremam voluntatem, ac nos in illa imagine, quæ olim tuis oculis & Genio in tantùm placere potuit, benignus intuere. De Alcmaria ſi me rogas, A. V. Immane quantùm! Leoverdiâ illam amo magis. Totus in ſilentio & tranquillus hic ago, citra invidiam ac partium illa ſuffragia. Gymnaſium noſtrum pulchrè aſſurgit, & in famam ſe parat, antiqua illa labe deterſa. Verè candidæ Muſarum fores. Et quod Reip. magnum ſtabilimentum, Philoſophi hic regnant; Viri authoritate graves, dignitate eminentes, eruditione præſtantes.

Magnam queis mentem animumque
Delius inſpirat Vates.

Si illo ſemper clavo, doctrinæ & prudentiæ, Reſpublica regeretur, non in tot ſyrtes & ſcopulos impingeretis. Eruditis dictatura debetur; in vulgo non conſilium, non ratio: quod aut ſervit humiliter, aut dominatur ſuperbè. Hic ſiſto, & Te, Ampliſſime Vir, qui Friſiorum & Amicorum ocellus, longùm ſalvere jubeo. *Dabam in nemore Alcmarienſi* 1639. *Kal. Iunii.*

Clariſsimo Conſultiſsimoq; Viro,

D. MARTINO VV IBINGHA, I.V.D. & Profeſſori facultatis Iuridicæ.

Franekeram:

C*Onſultiſsime Vir*, Quod me arguas de intermiſſa multoties compellatione, hoc amoris indicium interpretor. Iudicas familiarium amico-

amicorum eſſe officium, mutuis affatibus ſe aperire, & nihil ad colendum amicitiæ illum agrum intermittere. Moram igitur tam diuturnæ abſentiæ ferre patienter non potes: quaſi præter morem fiat & amorem, pertinaci amplius ſilentio indulgere. Erras, Cl. Vir, erras, ſi unquam tui immemorem putes Neuhuſium: qui fide & mente ſincera ęternùm te proſequor. Non ſum ille, quem ſic dira teneat malignitas, ut te de meis cogitationibus exſtingui patiar. Pileo, Libertatis illo inſigni, tempora mea ornaſti, in patria nuper Academia. Egone tam rudis & ignarus ſiam, meo Tu unquam animo exire, aut excidere poſſis? Vereor in ſervitutem me redigeres, obliterata tam præclaræ rei memoria. Raró quidem Franekeram excurro, domi ac in Schola aſſiduè occupatus. Aut ſæpè ſic res & ratio urget, quando iter facio, ut deflectere de via non poſſim. Faxim tamen, illam mihi noxam remittas, quam hiſce quoque literis expiatam nunc volo. Omnem deinceps impendam operam, quando ad manum occaſio, nullum in te colendo tecumque colloquendo officium intermittatur.

Dum res, & ætas, & Sororum
Fila trium patiuntur atra.

Etiam, quod placet, liberè de meo capite ſtatuiſti. In Forum me vocas, & extra Scholarum tenebras, ut eam in ſolem magis & publicos oculos. Non ſperem, Cl. Vir, ſic novercali me natum ſidere, ut annos & vitam hic finiam in pulvere, & tam parva meſſe. Vtinam aliquando ſic agatur mecum benignè, ut pluſculum exerere me poſſem, & vires ingenii differre magis ac diffundere. Interea, quã Spartam primò ac ultrò ſum nactus, fide, cura, induſtria ornabo, ne quid Conſcientia noſtra capiat detrimenti. Illo Pindari me conſolor: θεοῦ δείξαντος ἀρχὰν, οὐδὲν δὴ τὸ κωλῦον. Veſtra Academia iterum afflicta? Boni Viri paſſim de ſcena abeunt. Vtinam! non omina hæc ſint ævi deterioris. Quod

bonus avertat Deus, qui Tibi & Clariſſimis Collegis vitam perpetuò felicem largiatur. Vale Vir Conſultiſſime, & inter tuos me ſemper recenſere memineris. *Dabam Harlingæ Idibus Martiis* 1638.

Fratri Chariſsimo,

HENRICO NEVHVSIO, I. V. D. & Advocato.

Leoverdiam:

D*Ilecte Frater*, Nuperæ ad nos literæ ſingulari ſanè gaudio redundarunt. Reip. inprimis & Amici de cauſa: quem contra vim & invidiam meritò Fortuna promovit. De adverſario & obtrectatore illo, abſit minimo dolore afficiar. Qui ſi perpetuùm in luſtris & Lupanaribus ſuis latitet, nec unquam in medium protrahatur, dignam malitie & malignitate ſua pænam & perſonam ſuſtineret. Aptus natus Catilinam, aut Clodium exprimeret in litigioſa illa gente. ad virtutem ituris impedimento, improbis ſemper conſiliis ſocius; imo anteſignanus. Dolerem de amica Leoverdia, quando à tali ingenio patrocinium exſpectet, & in tam nequam complexus ac ſocietatem brachia exporrigat. Quanto utilius, hominem vita, moribus ingenuum, uſu rerum præclarè edoctum, in hoc honoris faſtigium admovere, quàm canini dentis improbum ſcurram, tamque inſigniter maledicum ſuppalpatorem. Quæ non bona virorum meſſis in egregia & regia illa civitate? Ipſis ſanè poſteris nauſea ac pudori foret, ejuſmodi lutulento gregi publicæ ſalutis fidem & faſces crediſſe. Vereor tamen permultum, præoccupet ac invadat aliquando ipſum honoris culmen; illiſque de meliore loco & fama, omnem ſua virtute emergendi occaſionem callidè intercludat. *Tot enim inopinatò ſæpe introeunt atri alieni*

lieni canes, tot angues per impluvium de tegulis decidunt ut animadvertere omnes ne ſagaciſſimus quidam poſſit. Amico noſtro animitus gratulor, quod ſola virtute emerit poteſtatem: quam non flamma, non ruina inferius adducet. Ringatur alter & in quãcunque partem ſe torqueat, ſcilicet: *ilia Codro rumpantur,* ille unguem ne vorterit.

Nunquam eminentia invidiâ carent.

Tu quoque, mi Frater, ſalutare hoc monitum tibi adjunge: & ad ædem virtutis, unde afflare nos invidiæ illa aura ſolet, conſtanti gradu decurre. Nunc vale & nos inviſe. *Alcmariæ poſt. Kalend. Iunii* 1639.

Clariſsimo doctiſsimoq; Viro,

D. BERNHARDO FULLENIO, In alma Friſ. Acad. Matheſeos Profeſs. peritiſs.

Franequeram:

C*Lariſsime Vir.* Heri obiter de cymba te conveni. Feſtinandum erat velis & remis, ſole ſic ſubitò ad Thetidem ſuam eunte. Libens tibi adſediſſem ad perennem focum, niſi res varia ad naviculam me compuliſſet. Socer Capitaneus Emdâ abiit, & jam jam Harlingæ in præſidium exſpectatur. Etiam uxor tibi puerpera, quæ mediam fermè domum occupabat. Superius Viros Principes & Barones aſtra & cælum docebas. Sic totus alieno tempore ad amicum veni, cujus olim tam magna pars fui. Veniet illa diecula, quando nos mutuis affatibus liberius aperiemus. Nunc ſi vel cupidè voluiſſem, & tibi vacaſſet optimè, juris tamen mei non fuiſſem, declinante, ut dixi, in occaſum Heſpero. De Parente ſi quæris, valdè nunc debilis, & vix vitæ & valetudini ferendæ. Nec mirum, in tali ſtatione, poſt tot tormenta & calculi

Digitized by Google

aſſiduos cruciatus, viribus frangi & dejici. Annus hic, credo, fatalis. Magni Viri de vita abierunt, & res Literaria cladem penè paſſa Cannenſem. Fuit in ferali illo ordine Parens tuus, Vir æternis in cælum laudibus extollendus. Vereor, ne & meo Parenti nunc à tergo Nemeſis, & per tot manes & cineres ad vitæ quoque quietem contendat. ſolatium erit, ἐν ἐυφημίᾳ τελευτᾷν. Magnus ille Orbis moderator noſtri & Muſarum miſereatur, ne Literis iterum exequiæ & barbaries. Si curæ & cunæ permittant, quæſo, paucis ad me de ſermone nupero. Nunc vale & longùm Parens, & ſuperſtes eſto.

Me nec Chymæra ſpiritus ignea
Divellet unquam.

Tui, puto, amore, Vir Clariſſime, & doctrinę admiratione. γὰρ πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν ϛόμα. *Dabam Harlingæ 9. Decemb.*

Ampliſsimo & Prudentiſsimo

SENATVI LEOVERDIENSI, In Dedicatione Pŏematum Iuvenilium.

A*Mpliſs. Spectatiſsimi* DOMINI, Si Plato magnas Diis ſuis egit gratias, quod naſci ſe Athenis voluerint; Ego ſanè me de Leoverdia maximis obſtructum immortali Deo beneficiis agnoſco & profiteor. Alma nutrix præſtantium ingeniorum Leoverdia, Tibi quicquid ſum, quicquid poſſum, debeo. Quod vivo, quod bene vivo, tui eſt, ſecundum Deum, muneris. Tu mihi in primo meæ vitæ limine tuum benignè aërem impertiviſti. Tuum teneris pedibus ſolum inſtiti, tui Genii indolem cum ipſis nutrimentis imbibi. In te vagiit mea lactentis ævi Infantia, luſit pueritia, invaluit adoleſcentia. Apud te Fratres ſororeſque

reſque meæ ſpiritum trahunt. In tuo ſolo Pater ſui honoris & fortunarum domicilium collocavit; tuæ pubis animos ad virtutem ſapientiamque jam in ſextum luſtrum informavit, tibi vitæ ingeniique florem impendit. Quod verò longè maximum eſt, in tua Schola religioſæ pietatis bonarumque artium ſemina, ad inſtituendam rectè vitam, concepi. Hærent mihi in memoria tua, Mater Leoverdia, Beneficia: quibus ſi aliquam aliquando gratiam poſſem rependere, divino me affici munere putarem. Quicquid vitæ mihi Deus dederit, quicquid ſtudio ingenioque potero, id in tui nominis cultum & venerationem libens meritoque impendam. Hujus animi in Patriam Leoverdiam pignus & teſtimonium accipite benignè, Ampliſs. Spectatiſſimi DOMINI, hæc induſtriæ juvenilis exercitia, & ingenii primitias: quas ex priſco more illi Patriæ, Vobis Patriæ Patribus, tenebar ſacrare. Accipite, inquam, benevolis animis, Domini, hæc ætatis ſtudiorumque meorum tyrocinia: quæ, ut ſpero, à veſtri nominis & Patriæ ſplendore gratiam aliquam & pretium ſibi conciliabunt. Faxit Deus, Domini, ut Patria diu Vobis; Vos Patriæ uſui honorique ſitis. *Ex Muſeo meo Harlingæ Friſ. Kal.* Apr. 1634. *Ætatis* 26.

Reverendo Doctiſsimoq; Viro,

D. IOHANNI HASELBEKIO,
in Inſula Schellingana V.D.M.

Schellingas:

R*Everende Vir,* Si vales bene eſt, ego Valeo. Heri vicinus tuus, fide & meliore nota mihi probatus, ad nos venit, ut illum & te onerarem pauxillo moleſtiæ, utrinque amor & favor fecerunt. Exſpecto hic intra paucos dies, Chariſſimum Parentem & affinem tuum; quos plane Mi-

hoc tamen magnopere à me deſiderare videmini, ut vivam Præceptoris veſtri imaginem Vobis & poſteritati in Literis conſignem. Libens ac ſponte facio, Viri Ampliſſimi, quod, pro veſtra in pios manes benevolentia, tam amicè à me depoſcitis. Si placet, & à publico ſit otium, agite, & à primis incunabulis, ad extremum uſque Fati diem, univerſæ vitæ campum attentè mecum decurrite. Annus erat, poſt reparatam hominis ſalutem, *M.D.LXXXI. 21. Octob.* quo Parens, heu! quondam meus, vitæ mortalis uſuram hauſit in illuſtri apud VVeſtphalos civitate *Steinfurtenſi*; quæ Gymnaſii celebritate tunc temporis orbi terrarum notiſſima, nunc militi Cæſariano præda ac hoſpitium. Suæ authorem originis Patrem habuit *Reinerum Neuhuſium*, Virum de Reformata Religione optimè meritum, Civem apud ſuos primarium. Matrem, *Saram Piccardinam*, egregia tunc gente & familia Matronam. Annos circa natus novem, intra ſpatium fermè menſtruum, utroque parente orbatus. A quo tempore Fratres pupilli multis jactati per orbem fatis. Natu medius *Ioannes*, qui poſtmodum Leoverdiæ apud Friſios vixit, ducta in matrimonium Filia Clariſſimi Fullenii, in Hiſpaniam ablegabatur, ibi Mercurio fidem ac operam facturus. Natu minimus *Alexander*, Stockholmiam ad Suecos miſſus, illic, poſtquam adolevit, in magna apud Regem gratia, ac Centurio contra hoſtem glorioſè obiit. Parens p.m. cæteris ætate major, ab amicorum conſilio ad varia deſtinatus; niſi bono interveniſſet Fato Vir Cl. *Ottho Caſmannus* ipſi Avunculus, qui ſingulare in puero cognoſcens ingenium, ſolis Literarum ſtudiis deberi hunc dixit. In patria Schola exacto fermè triennio, cum Avunculo ſuo *Stadam* commigrat, ubi Gymnaſii Rectura ipſi offerebatur: Hic totos novem annos in gremio & deliciis hæſit magni Caſmanni, tanquam ad Gamalielis pedes. Quo ductore Philoſophiam, Theologiam,

cum reliqua Literatura non perfunctoriè pertractavit. Inde in patriã reverſus, inſtitutione Clariſs. *Vorſtii* & *Timpleri* gratioribus ſtudiis non leviter tinctus. Quibus tam familiariter convixit, ut ab illis Filii loco duceretur. Si quando ardua & acris diſputatio à vicinis Ieſuitis, ut ſolenne illic erat, offerebatur, ad illos de ſumma Religionis diſputaturus Monaſterium mittebatur. Sed miſerabilem hoc exitum habuiſſet, niſi aliter Deus hoc malum rexiſſet. Subordinatus erat à Ieſuitis, qui vim illi inferret in via. Quod factum continuò, & grave vulnus cerebro inflictum. Letho proximus, ſi non aliquod in capite operimentum teli impetum retorſiſſet. Etiam res illa pene litem illi fecit apud noſtros, quaſi prorſus Vorſtianam ſectam amplecteretur, juraſſetque in verba Magiſtri. Aliter hoc ſcripta in publico teſtantur, & ille pro Orthodoxa Religione ſumptus in manum calamus. Sic probè exercita Iuventute & ad gloriam vergente ætate, incogitanti, atque ultrò ſtudiorum cauſa *Marpurgum* contendenti, anno *M D. CVII.* II. *Iunii*, Rectura offertur *Leoverdienſis*: de qua gente vix unquam fando quicquam ad aures venerat. Moris tunc fuit terras & maria perveſtigare, ut tali Provincia Vir dignus inveniretur. Secus quàm noſtra ætate, quando rudis aliquis, modò barbæ & pallio nomen faciat, ad ferulam admoveatur. an illam regere cum imperio & conſilio poſſit, parum curæ & cordi eſt. Iuvenis tamen, peneque imberbis, cum illam Atlas molem ſuſciperet. Diſcipulos ætate, quàm ipſe, majores reperit; Collegas invidos ac obſtinatos, quaſi bolo illis prærepto. Paucis verò annis invidiam ac livorem ſuperavit, Virtute ac Eruditione publicè teſtibus. De Religione, quia Vorſtii olim diſcipulus, ne cui vacillet fides, *Anno M.D.CXIII.* in laudatiſſima, quæ Leoverdiæ Friſiorum Chriſto Domino colligitur, Eccleſia, *Presbyter* eligitur, Reverendis, Clariſs. noſtra ætate Theologis DD. Bo-

ger-

Digitized by Google

germanno, Fullenio, Hachtingo, illic V. D. Miniſtris. Vt in piiſſimo Parente pietas; ita aſſiduus ille in functione ſua Labor non parvam nobis gloriam apud Noſtrates reliquit. Cum nullus in Rep. ordo, nulla vitæ honoratioris functio, quæ non ex fideli ſua inſtitutione Viros optimos ac Clariſſimos profiteatur. In quo unico dum viveret, ſummum ſibi decus ac ſolatium repoſuit. Non miror in illa ætate ac ſtatione infractum laborem, quando memini, adhuc puer iſtam ad meas aures quotidie cantionem; quod ſæpe ablatis clam lichnis & lucernis, in orbem ligare ſe ſolitus manibus pedituſque, ut præveniens mane auroram melius Muſis litaret. Audi mea Iuventus, & imitare exemplum. Non minus, quàm illud Cleanthis, qui noctem hauriendis aquis impendit, ut pretium ſuis Præceptoribus pro diſciplina diurna perſolveret. Sed magis in alio hæc laudem, quàm in illo vitæ ſanguiniſque mei fonte. Divi Parentis nomen cum fama foras nunc iret, illuſtris Reſp. *Groningenſis* illi Recturam ſponte obtulit, *Anno M.* D. *CXIX.* cum magno ſuorum civium deſiderio & exſpectatione. In Vxorem, in Liberos, ſi fatis vita interrumperetur, publicæ liberalitatis inſigni facta promiſſione. Manere Leoverdiæ Deo viſum: Quę de illius abitu, quemadmodum de Scholæ univerſæ interitu, litem penè faciebat vicinæ Civitati. Non minùs illi in ſpem & liberos, ſi quando res poſtularet, & morari apud illos vellet ſacroſanctè pollicita. D. Parens cum undique favorem hominum intueretur, publicam penè lamentationem de ſuo deceſſu audiret, tandem de aſſumenda vocatione deſtitit, motus tum ſingulari Literatorum Civium in ſe affectu,

——— jure perhorruit
Latè conſpicuum tollere verticem.

tum in ſuos æternùm meritò manſura Ampliſſimi Senatus recordatione. Igitur in illuſtri Leoverdia,

verdia, hoc quod brevis vitæ reſtaret, in ſtatione ſua decurrere, forti animo ſtetit ſententia. Quàm tamen adverſo fato vitam traxerit, nemo veſtrûm, Cl. Viri, ignorat. Præter omnes ſarcinas & moleſtias, quas illa profeſſio ab integro Viro requirit, totos viginti annos cum immaniſſimis calculi doloribus ſic miſerè luctatus, ut vix diem ab illa carnificina liberum habuerit. Totas ſeptimanas, vermis adinſtar, humi repens, pervigiles & inſomnes egit, quaſi unus omnibus ærumnis par congreſſu. Nihilominus in ærumnoſa hac vita tam pertinacem meditationibus operam impendit, ut fracti corporis imbecillitatem ingenii illa intentione magna ſæpè ex parte lenierit ac levarit:

Ad mala jam pridem non rude pectus habens.

inprimis à poëtico ſpiritu, quando ad calculi incudem graviſſimè torqueretur, minuendi doloris remedium ſibi quæſivit, ſcilicet,

——grande doloris
Ingenium, miſeriſque venit ſolertia rebus.

Cujus generis hujuſmodi multa obſervavi, extemporanea, & ab ipſo ejulantis ore ad lacrymas excepi.

Inter calculi torturam effuſa.

Si me peccati moles operoſa fatigat,
Attollit miſerum gratia larga Dei.

aliud.

CHRISTE mei miſerere, mei miſerere Iehova,
Nec ſine me caſſas ferre ſub aſtra preces.
Neu ſine me querulis fruſtra quatere æthera votis,
Perpetuoque meas imbre rigare genas.
Tunc tua magna meo referam præconia verſu,
Et ſolvam in laudes os animumque tuas.

aliud.

Cum nihil humanæ ſupereſt opis, una ſalutis
Spes in te reſidet Chriſte benigne meæ.
Affer opem, Servator opem fer, rebus in arctis,
Et recrea auxilio languida membra tuo.

aliud.

Digitized by Google

aliud.

Tandem Chare Pater, poſt longi tædia morbi,
Chare Pater, medicam, tu potes, affer opem.
Affer opem miſero, fidam mihi porrige dextram,
Carnificem à laſſo corpore pelle luem.

aliud.

Chriſte mei miſerere, gravem compeſce dolorem,
Da mihi, da vita ſoſpite Chriſte frui.
Tum tibi læta dabo meritarum præmia laudum,
Incolumiſque tuam nomen in aſtra feram.
Te medicũ celebrabo meum, tua munera dicam,
Quàm ſteterint vitæ tempora longa meæ.

aliud.

In te oculos attollo meos, ad te erigo mentem,
Te rogo, Servator, ſupplice voce, Deus.
Auxilio ſuccurre tuo; ſuccurre roganti,
Et releva morbi tormina dira mei.

aliud.

CHRISTE mihi rebus præſta ſolamen in arctis,
Fer mihi propediem, Vir miſerator, opem.
Et jam defecto tabeſcunt corpore membra,
Vita mihi, dextram te retrahente, perit.
Fer citus auxilium, miſeris ſolatia rebus
Suffice, ſit cordi crux mea, Chriſte, Tibi.
Invalidas ſtabili vires, dubiumque ſalutis
Da vitæ curſu proſperiore frui.
Sin jam confecti venit mihi terminus ævi,
Et fatalis adeſt funeris hora mei:
Claude mihi placito languentia lumina ſomno:
Mens repetat Patriæ cælica tecta plagæ.
Hanc manibus commendo tuis, curæque fideli;
Suſcipe depoſitum, quod tibi reddo, tuum.
In dulci patris gremio ſecura quieſcat,
Dum gelida corpus digrediatur humo.
Sit Tibi Relligio, ſit Res tibi publica curæ,
Et cum Matre ſua pignora blanda, precor.

Sub illo Phalaride ac truci morborum jugo nata tamen pręclara Literarum volumina: illud *Humani Ingenii*

Ingenii Theatrum; de *Sacris Fatidicis* Libri duo; *Triga Artium Scholaſticarum* : quæ inter manus ſingula verſantur:

Quæ nec ventura ſilebunt
Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube vetuſtas.

Quædam adhuc domi in armario apud me aſſervantur. Et ſi volet Deus, lucem propediem videbit ſub ſeptem Regibus, *Romani Imperii Infantia*, & *Gymnaſium Eloquentiæ* , opus planè ſerium ac perpolitum. De cæteris cum animi, tùm corporis dotibus , quas ſeriò admirari in Parente noſtro ſoletis, non ero prolixior. Vobis, Viri Clariſſimi, æternùm gratiæ debentur , quod ob veteris memoriam Magiſtri , tanta erga nos fide ac benevolentia ſitis affecti. Quod nuperrimè, quando Parens p. m. hoc vitæ carcere exiviſſet, cum meliore Reip. ſuffragio publicè teſtatum feciſtis. Obſtitit turpis ambitio , & pro triginta annorum admiranda ſedulitate , cum viva voce, tum aſſiduis lucubrationibus, ne gutta bonæ gratiæ ad ſuos promanavit.

Hoc eſt ad noſtros non leve crimen avos.

Aut cum Poëta Græco dixerim: τὸ μὲν λάχομεν γέρας ἡμεῖς. Ac verè Cicero; *Fortes & ſapientes Viros non tam præmia ſequi ſolère rectè factorum , quàm ipſa rectè facta.* Hoc in triſtibus rebus unicum ſolatiū, quod gloriari ſemper liceat de beata Clariſſimi Parentis memoria: quam nulla delebit vetuſtas, nulla hominum ingratorum obliterabit oblivio.

Ergo dive Parens, carnis compage ſolutus ,
Nunc cognata tibi ſidera victor habes .
Nunc coram mirare Deum: magniq́; Tonantis
Vultus, Ora, Torum, Sceptra, manumque vides.
Hic, major terris, humanas deſpicis artes,
Et cui nunc pretium fœda libido facit.
Non illic quereris, quos Calculus ingerat, ictus;
Aut labor afficiat ſollicitudinibus.
Otia quæ nuper Tibi Muſa ingrata negavit,
Hæc nunc in Cœlis otia lætus agis.

Cernis,

Cernis, ut humanis nulla eſt fiducia rebus,
Et vulgi inſtabilis gratia? fide Deo.
Fide Deo, *quicunque voles te credere Fatis;*
Alloquio CHRISTI, *Cælicolumq́ frui.*
Corporis exigui parva eſt jactura: perennes
Ingenii titulos Fama decuſque facit.
Sola Deum virtus penetrat, metitur & aſtra;
Eſt ubi corporibus gratia nulla ſuis.
Sic, ô dive Parens, quot Muſis clara dediſti
Nomina, quàm Friſio commoda multa ſolo:
Tot pro dote refers, CHRISTO *ductore, Triumphos,*
Semper ubi nullo fine Triumphus erit.

Hæc piiſſimis manibus, & veſtræ exſpectationi, Cl. Magnifici, Conſultiſſimi Viri, ex vetere formula, do, dico, dedico. Valete. *Alcmariæ ex Muſæo Kal. Feb.* 1639.

Reverendo Doctiſſimo Viro,
D. REGNERO BOGERMANNO, apud Harlinganos V. Div. Miniſtro.

R*Everende Vir*, Mitto ad te perexiguum Carmen, in reditum & vocationem Profeſſoriam magni Fratris. Cujus Famam & Doctrinam excellentem cum à teneris ſemper ſim admiratus; viſum fuit, Parentis mei loco, qui familiariſſimam cum eo amicitiam per integros viginti & ultra annos celebravit, tanti Viri in Patriam adventum plauſu poetico teſtari. Gratulor Academiæ noſtræ Theologum tam eximium ac celebrem; à cujus tacito vultu & oculis multa proficere juventus poſſit. juxta illud Senecæ: *Occurſus me hercule ipſe ſapientum juvat, & eſt aliquid, quod ex magno Viro vel tacente proficias.* Vtinam! Fata ævum & annos illi donent, ut ſub onere afflicti corporis etiam voce & ſtylo Provinciam ſuam ornare poſſit. Sed vereor, Cygnæa illa vox ad metam ſuam proximè advenerit, & parum à Fato jam abſit.

Quod falſum fiat, Patriæ & Academiæ precamur bono. Tu, Rev. Vir, Si magni Fratris palato tantillum noſtri muneris judices poſſe ſapere, faciam typis deſcribatur, & ipſo inaugurationis die in manum & oculos veniat. Vale. *Ex Muſeo meo Cal. Jun.* 1636.

IN REDITVM

Venerabilis & Celeberrimi Viri,

D. IOANNIS BOGERMANNI,

Synodi Dordracenæ nuper præſidis: nūc, poſt adhibitam ſacræ Bibliorum verſioni operam, & ingentia in Eccleſiam Dei merita, in almā Friſ. Academia, ad primariam SS. Theologiæ Profeſſionem vocati.

ERgò ades & Patria felix allaberis oris,
Numine cui toto mens animuſque calet.
Soſpes ades, Vir magne, malis exercite multis:
Orci de medio limine ſoſpes ades.
Scilicet invidiam contra, vulgique furorem
Vivis, & in tantum non cadit umbra Virum.
O bene! quod nobis ſic Dii favêre: quod iſtum
Lugdunâ reducem clade dedere virum.
Qui tanto major ſpatioſi finibus orbis,
Et cælum ſupra Terrigenaſque ſapit.
Cujus ad Eloquium totus ſtetit orbis & Orcus
Attonitus: tali protegit ore Fidem.
Quem ſi damnaſſet Stygiis trux Atropos umbris,
In luctum & lacrymas Belgica tota fluat.
Et dudum pullam mœrens Eccleſia veſtem
Induat, à tantis obſtupefacta malis.
Quod felix fauſtumque ſiat, Vir Magne, precamur
Optatos Reditus & nova Penſa Tibi.

Ampliſ-

Digitized by Google

Ampliſsimo Doctiſsimoq; Viro,

D. THEODORO SAECKMA, I. V. D. Vrbi Leoverdienſi à Secretis.

Leoverdiam.

A*Mpliſsime Vir*, Etſi nunc in magnis Reip. motibus ac bellorum Civilium æſtu verſeris, res tantùm arduas cogitatione tua complectens, non alienum tamen ab officio meo judicavi, aliquam Literarum, hoc tempore, memoriam Tibi facere. Quanquam non adeò magnam adhuc mereantur laudem, quæ ab ingenio & incude noſtra promanant, meam tamen in promovendas Literas voluntatem publicè teſtari deſidero. Spero, ab incremento ætatis & aſſidua ingenii meditatione aliquid res Literaria aliquando capiet ornamenti. Nunc, quod ad te mitto, Vir Cl. publicum eſt juventutis noſtræ Exercitium; ut, quomodo juventus, juxta pietatem, rectis artibus informetur, neminem prætereat. Augiæ hic ſtabulum purgo. Et poſt deforme chaos, novam Scholæ noſtræ faciem induco. Herculem! qui hoc poſſit ſæculo tam monſtroſo & ingrato. Quod magis, in tetricis illis minutiis verſari, Viro docto quid miſerius ac difficilius? Oneri tam duro vix eſſem ferendo, ſi non laboris aliquod ſolatium, & ſpes præmii melioris affulgeret. De Grammatica velim Ampliſſimum Parentem publico horteris bono: ne juventus tam variis voluminibus miſerè crucietur & circumducatur. Non peto, ut nova ac recens nobis obtrudatur; ſed bona, licet vetus, & à Donati aut Priſciani tempore. Vnam in Friſia artem ſtabilire, eandem in Scholis methodum tenere; Certam Præceptoribus legem indicere, Reip. eſt unicè neceſſarium. Vt bono cum ordine, abſque ambage & diverticulis juventus noſtra ducatur, doceatur. Ego plana & compendioſa apud pubem

pubem via utendum cenſeo. Multa uſus docet. Et plus à viva Prçceptoris inſtitutione, quàm ex multis obſoletæ atque intricatæ Grammatices præceptiunculis percipitur. Hæc paucis ad tuum tribunal, amicorum quondam præcipue, Vale. *Harlingæ ex Muſeo meo, Cal. Majis.* 1634.

Præſtantiſsimo Doctiſsimoq; Viro,

D. HENRICO HOEFISERO,
Amico ſuaviſſimo.

Amſtelodamum.

PRæſtantiſsime VIR, Quantùm nuper, Amſtelodami cum eſſem, ex inopinato tuo occurſu totus in ſtuporem raptus, tantùm amicitię veteri tunc gratulabar, nunc quaſi reviviſcenti ac à tenebris in lucem redeunti. Ita namque animo excideras, quàm qui loca ſilentum jam diu adieras. Vbi de improviſo obviam oculis, ſubito quaſi ictu, intimos mihi ſenſus immortali gaudiorum nectare perfudiſti. Lætor, Amice, animitùs lætor; quod vivas, quod bene vivas, & mei memoriam nedum inter pompam & purpuram tuam depoſueris. Sed, qui valeat unquam exſtingui ſacer ille ignis, quo uterque domi & foris incaluimus. Gallia multis locis ac amœnitatibus nos vidit; familiaris neceſſitudo ac convictus animos in ipſo penetrali probavit. Quare etiam atque etiam Te rogo, Præſtantiſſime Vir, diuturnet hæc tua in nos colendo humanitas, & poſt immanę ſilentium linguæ, ac Epimenidæum pene ſomnium, juveneſcat antiqua amoris virtus. Primus Te provoco in arenam Literariam, & herbam porrigo. Abſit, antiquo bellantium more, haſtam præuſtam in fines tuos jaciam. Oſcula & amores ad te mitto, blanda illa nomina, quibus tecum militem. Hæc amantium arma ac palladium, quibus ſilentii illud nefarium expiatur. Addo oratiunculam inſtitu-

tionis

Digitized by Google

tionis noſtræ imaginem, & meum in bonas Literas affectum. Quando à Poëſi tua Belgica pingue ſit otium, Latialem quoque Muſam temporis aliquo compendio, quæſo, ne dedignare. Quo voto, ac novi amoris reſuſcitatione nunc finio, & Parentes tuos ſalvere tecum plurimum jubeo. Vale. *Alcmariæ Batavorum 1639. poſtrid Kal. Maji.*

Reverendo, Clariſſimoque Viro,

D. MEINARDO SCHOTANO, Doctori & Profeſſori Theologo.

Franekeram.

REv. Vir, Nuper in publico & fatali ibam ordine, cum me in via præterires. Nefas inde pedem ſubducere, & te pro officio & merito ſalutare. Statim, ubi pompa me ſubduxeram, ad portum me recepi, ex mutua neceſſitudine manum & fidem tibi daturus. Cum de ſpecula proſpicerem, oculis & auribus evaſeras. Vt moris tui eſt, arrepta occaſione, in fugam & vela te dederas: quaſi noſtræ urbis auram & barbariem ferre non poſſes. Fateor, varia apud nos Relligio, magna partium & animorum diſtractio. cum Poëta exclamare poſſum:

Ἤδη νῦν αἰδὼς μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλεν·
Αὐτὰρ ἀναιδείη γαῖαν ἐπιστρέφεται.

Beati eſſemus, ſi tuam hic vocem & vitam exemplo haberemus, ut detortos in pravum animos divino Eloquio in rectum cogeres. Quod ad Muſas, nullum hic earum pretium. Nemo Liberales illas deas ſui honoris ac juris facit. Nec hic ſolum. Vereor ubique in noſtra patria bonarum artium reverentia intermoriatur. Adeo, ut boni Magiſtri meritò de ſua functione & inſtitutione conqueri poſſint, quod profano hoc ſæculo, tam parum apud tardam Iuventutem proficiant. Malè tamen

tamen facit, qui paulio anteacti ævi auream uſque in cælum jactat diſciplinam, hodiernam planè nullius æſtimat. Quaſi ſolis præceptoribus & depravatis Scholarum legibus macula illa inhæreat. Nos, quorum inſtitutio, prô dolor! in haſce Mundi tenebras incidit, melius de iſto judicare poſſumus. Audiat omnis Magiſtratus:

Si Mecœnates fuerint, deerunt non Flacce Marones.

Pergo me excuſare, R. V. de intermiſſo nuper alloquio: quod quàm libenter inſtituiſſem, meum ingenium ultrà tibi dictitat. Carmen addo connubiale: quod ſi nullos ad amorem tibi ſtimulos ſubdat, aliquem tamen in pectore jucunditatis ſenſum relinquet. Tu vidêre, R. Vir, humanas illas compedes terrigenis permittere, ſoli Chriſto dicatus & ſacer.

Chriſtum Sponſus amas; Chriſtus tibi Sponſa; nec ulla
Dignior eſt Thalamis Sponſa reperta tuis.
Nubere ſic placitum, cui mens & purior ignis:
Eſt tibi mens melior, purus & ignis ineſt.

Vale Rev. Vir. *Kal. Iul.* 1636.

Reverendo Doctiſsimoq; Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS, V. D. M. Avunculo ſuo.

Neocleſiam Geld.

D*Ilectiſſime Avuncule*, Scio, quàm Vos malè habeat Literarum noſtrarum infrequentia; quas ſic avidè atque exporrecta manu accipere ſoletis. Ne quid ſciens in Vos committam, ad pennam confugio, ut illius ope & patrocinio omnem à me ſuſpicionem & pœnas dimoveam. Nupera ſcriptio, qua beatum me, recepta valetudine, reddidiſti, adhuc recens & integra animo meo inſidet: nec poſſum illius dulcedinem, etſi multa cogitationes noſtras quotidie diſtrahant, memo-

Digitized by Google

memoria & palato exſtinguere. De ſilentio quod addis, agnoſco culpam & meritò objurgas. Præſtat, fateor, amicas aures iterando ſæpius obtundere, quàm turpiter reticendo ſpe bona defraudare. Adeſt quoque præ manibus materia, qua ſalutatricem ſemper paginam poſſimus conſpergere. Otium tamen, quo uterque parum abundamus, aliquid interdum Literarum à nobis exſculpere, planè vetat.

Publica nos cogunt Muſis Temploq́ vacare,
Non vacat officii protinus eſſe ſui.

De Republica, mi Avuncule, quid bonæ ſpei? Iterum ad arma & claſſicum. Res in Germannia, quod juvet Deus, pulchrè procedit. Praga, Bohemia tota deditionem molitur, Saxone ad unum deleto, & jam Sueco milite ferro flammaque per omnia graſſante.

Et quondam victis redit in præcordia virtus.

Nos animos quoque ingentes & pectora Belgæ geſtamus. Terra marique ex ſpiratu atq; anhelitu nebula conſtat, cadunt vulneris vi & virium: *Conſonat terra, turbæ utrinq́ canunt contrà. Tonitru cœlum omne remugit.* Et meritò ſic res eat: Suſcipienda bella ſunt, ut in pace ſine injuria vivatur. Vtinam! in illo Galliæ apparatu plus roboris & fiduciæ, quàm nuper. Satis quidem ingenii ac impetus in illa gēte; modò obdurare poſſit rebus fortiter inſtaurandis ac firmandis. De quo nuper ad me, Avuncule, planè demutavit animum de firma fide. Viden'? benemeritis ut malè revertatur gratia? Ille Conſcientia ſe tegit, & providentiæ illo gubernaculo; quamvis durum ſit, toties beneficium perdere. Hodie illud antiquum obtinet: *Si quid benefeceris, gratia pluma levior; ſin malè feceris, plumbeas iras gerunt.* Illud verò ridiculum, quod homo ille ſic altæ ſapientiæ, in tam ſobrias ſe nuptias conjecerit; quæ vereor, parum illi ſecundæ & felices eveniant. Malim cum Xerxe nudum paxillum adamaſſe, quàm ſic præpoſterè in invenuſtā Venerem

vexarſiſſe. Vale, mi Avuncule, & Deo Riſui ac Vacunæ nunc lita. *Alcmariæ 1638. Kal. Decemb.*

Clariſsimo Viro,

EDONI NEVHVSIO P.
Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

C*Hariſsime Parens*, Tuus hodie Natalis totum me recreat. Magis, quod in hæc tempora incidat, ſic triſtia & terribilia. Fabula nobis vidêris in vitæ hac ſcena. Quandoque perſonam induis tam planè miſerabilem, tanquam ſi momento hinc abiturus. Modò frontem capis lætiorem, & ſpem aliquam reddis; ſed brevē ac dubiam. Publica nunc ſtrages, & multos indies peſtis obtruncat. Tu adhuc immotus, & incolumis tot inter funera, nedum haſtam abjicis aut ponis. Quot Viros fortes ac juvenes improviſa rapit dies! Quā multi abeunt quotidie, & viam illam Lethi calcant, qui animis ac annis te firmiores! Quod placitum inprimis, tuum nunc Natalem Soſpites celebramus. Adeſt tamen cruxcula, de Avunculi Alberti dolendo ſtatu. Quinq; Liberos perdidit per contagium. Oppidum ipſorum circiter mille mortes habuit, tam brevi tempore. Supereſt vix domus, quæ ſine morbo aut mortuo. Quod optandum, plaga deficit & ſe ponit paullum. Vtinam! ſic Leoverdiæ apud Vos. Hîc multi reſurgunt, & paulatim ignis ille exſtinguitur. Faxit bonus Deus, Pacem & vitam habeamus longævam; ut tibi lætos Natales, nobis de illis ſæpiſſimè gratulemur. Vale, mi Parens. *Dabam Harlingæ ipſo Natali die:* qui tibi felix & fauſtus ſiat.

MVNVS

MVNVS NATALITIVM.

Ad Chariſſimum Parentem,

Cum Ætatis ſuæ annum ingrederetur LVI. 21. Octob. 1636.

CHare Pater, redit alma tuis Natalibus hora,
Iamque ſalutifero lucet ab axe dies:
Læta dies, plenis ſtagnant quà gaudia rivis,
Hyblæis recreat pectora noſtra favis.
Sic nos cura ſumus Superis. Dii noſtra tuentur
Gaudia, propitiis vivimus auguriis.
Nec morimur toti, quibus eſt reverentia Divûm,
Et cura Pietas Aonidumque labor.
Dum vulgare mori, paſſimq́ occumbimus umbris,
Et latè ſerpit peſtis & ira Deûm:
Nos vitam ſolita ſartam ſtatione tuemur,
In precibus ſalvi præſidioque Dei.
Alterius cineres lacrymis & buſta rigamus,
Et Muſa in multos officioſa rogos.
Quod rarum nobis, quod vix hæc tempora poſcunt,
Nunc plaudens toto pectore Muſa ſalit.
In tua ſe totam vegetat Natalia rurſum
Funereis dudum ſaucia Muſa malis.
Dum plorant alii, dum tundunt pectora palmis,
Et feriunt triſtes ungue manuque genas:
Nos læta inſolitis molimur gaudia plectris,
Annua natalis dum redit hora tui.
Sic medias inter creſcetis Lilia ſpinas;
Sic vernat gelida ſub nive fronde Roſa.
Nos una non ſorte beas Deus optime: Centum
Obruor officiis, afficiorque bonis.
Gratia ſi tanto Superis pro munere grata,
Plena ſuis numeris gaudia fine carent.

Digitized by Google

Nobiliſs. & Cl. Viro,

D. ISAACO SIX, THEOlogo & Philoſopho ſingulari.

Hagam-Com.

AMiciſſime D. SIX, à quo tempore tuis oculis & prẹſentia carui, mirifice ſemper tui deſiderio flagravi. Neque quicquam magis doleo, quàm quod occaſio ad manum non fuerit, qua meum in Te obſequium & amoris dulcem memoriam teſtari potuerim. Non vulgaris illa neceſſitudo, qua inter nos devincti ſumus. Fratris loco Te habeo, qui apud peregrinam gentem ſic multis mihi modis utilis fuiſti. Iſto inprimis tempore, cum nos, idiomatis externi adhuc rudes, apud homines parum humanos degeremus.

——ô ſidere dextro
Edite, multa tibi Divûm indulgentia favit.

Quo poſſum animo, Tui apud me memoriã religiosè ſemper ac cum fide venerabor. Dominus de Brugge, qui an vivat, an è vivis emigrârit, prorſus neſcio. Nuper Hagis cum eram, apud neminem ejus notitiam perſequi potui. Valde deſidero ſcire, quo in loco, quo ſub ſidere homo, optimi commatis, & raræ fidei in hoc ævo, ſedem ſuam poſuerit. Potiorem cum ipſo Galliam perluſtravi; multis jocis ac ſeriis ſodalem hunc habui, terra marique amicum probavi. Quod mirêre, circiter trecenta miliaria pedes unà confecimus: ut locorum & regionis accurata eſſet inſpectio. Celeriter ac in equo volitantibus multa quidem, ſed à ſuperficie tantùm videntur. Et jam nobis animus & pedes pruriebant, rectà per Alpes Romam contendere: niſi remoram mihi injeciſſet honeſta in Patria Provincia: quæ ultrò ibi obvênit. De Amici valetudine ac vita tibi ſi quid conſtet, Nobiliſs. Vir,

Vir, velim certiorem me feceris. Te Valere quoque jubeo. *Dabam Harlingæ Friſiorum* 12. *Kal. Apr. Anno.* 1635.

Filio ſuo, Reinero,

EDO NEVHUSIVS. P.

Cadomum Gall.

SAlve plurimum, mi Fili, *Quod te valere intelligimus, ex animo lætamur. Nos vivimus & valemus. Hoc die binas à te literas accepi: quæ me, niſi quod ſignificant valetudinem & virtutis antiquam indolem, magno affecerunt dolore. Ego & dominus Prætor putavimus, totam vos hyemem Salmurii, in Officina Pietatis, Eloquentiæ, bonarum artium hæſiſſe. Et Vos adhuc moramini in barbarie Normannica? Heu! ut me ſpes mea fallit. Cur non ivistis eò, quò vos vocabat aura Galliæ melior, & jubebat vox & aſſenſus Prætoris? Conclamate vaſa ſine mora, atque ite, ubi non Belgicæ culinæ nidor vernaculas aures afficit. Salmurium itaque quamprimum, atque ibi te exerce orando, & inſinua in gratiam Concionatorum & Profeſſorum. Eloquentiam inprimis & Philoſophiam noli negligere: à quibus ſuccus & ſanguis Eruditionis. Quid vis ſcire ſingularia patriæ ut abducaris à cogitationibus Galliæ? Hoc tamen mirè novum. Poſt longa Comitia Ordinum Belgii Delegati venere cum copioſo milite Leoverdiam. Leges daturi, aut vi, aut amica compoſitione. Germaniæ res ſuccedit ex meo voto & oraculo. Fr. Palatinus nunc eſt in ſua ditione, ulterius, ſpero, iturus. Ad æſtatem habebimus bellum, poſt hominum memoriam, maximum, Papicolis & Chriſticolis in Armageddon egreſſis. Praga & Bohemia noſtra eſt. Belgæ, ut credo, Rhenum ſui juris facient. Putantur quoque ituri iterum in Flandriam, ut Pyratarum arcem expugnent. Cætera noſti. Tu, Fili, eſto macte animo, ut es, & inſere te excellentium virorum gratiæ, ut illorum benevolentia tibi apud exteros nomen pares. Hic ſecunda eſt de te fama: quam ut reverſus ſuſtineas, laborandum eſt ad*

profuturam Reip. Doctrinam. Cæterùm, mi Fili, Spes mea, gere te porrò ex indole tua. Deus te ſervet, ducat, doceat, producat cum tuis Comitibus. Salutat te Mater, Sorores, Fratres. Benignus Deus pro ſua gratia nos ſoſpitet. Leoverdiæ 7. Feb. 1632.

Reverendo Doctiſſimoque Viro,

D. MEINARDO SCHOTANO, Doct. & Profeſſ. Theologo.

Franekeram.

REverende Vir, Literas & volumen Laborum tuorum lætus accepi. Quo tuum in me affectum & pronam voluntatem iterum palam nunc video. Quam non ore tantum & ſtylo, ſed dono tam liberali ac planè divino vis teſtatam. Dicere non poſſum, quàm me afficiat tali tecum nexu conjungi, & ejuſmodi virorum humanitatem toties deguſtare. Hoc rependo, Rev. Vir, redamare quod poſſim, animo & fide integra. Sed paria facere non poſſum, ſi paginas à me ſacras & Theologas poſtules. Nos aliarum artium ſumus.

Aonias colimus Muſas & ſacra Minervæ;
Tu colis ingentem pectore & ore Deum.
Nos voces verſusq; damus; ſeu Civica Iura,
Et tetricas leges diſſidiumque fori.
An tibi cum Superis Cœli in regione locato
Non humilis cedat Muſa Themiſq; mea?
Vivere te dicam pretio virtutis & artis,
Friſica quàm longùm terra ſuperſtes erit.

Age, Vir Rev. & Friſiam noſtram Deum & Pietatem doce. Opus eſt illo lumine Concionum tuarum, quò humanæ mentis caliginem & tenebras hujus ſæculi propellas. Nullum non vitium, quod non tua voce vapulet; Suadam & orationem tuam non trepidet ac formidet. Tibi hominum ille inſolens ſpiritus ſalutarem ſui medelam debet, juſtam reprehenſionem fœda ambitio, dignam

gnam correctionem ac ſupercilium omne vitiorum genus. Luxuriem, Voluptates publicè refrænas; Lites, odia aſpera, diſcordiam reprimis. In gyrum & rationem pluſquam beſtialem feritatem coërces. Facis ſpem & fiduciam ægris animis, iram & indignationem incredulis denuncias.

Te Duce, Relligio ſocia cum Pallade floret,
Et virtus ſolio ſplendidiore micat.
Temporis improbitas ſub te Cenſore tremiſcit,
Et tantum metuit fracta ſupercilium.

Hoc Deum Opt. Max. rogo, V. R. ut quàm diutiſſimè illum mucronem tuæ linguæ in profanos vibrare poſſis; Fidem, Relligionem jugi ſemper ſtudio aſſerere, ut plurimos Deo & Eccleſiæ lucrifacias. Vale, Vir Rev. & porrò me ama. *Harlingæ prid. Kal. Mart.* 1637.

IOHANNES BOGERMANNVS, Th. D. & Prof.

D. REINERO NEVHVSIO, Rect. Harling. S. P.

Doctiſſime Neuhuſi, *Quod benè vivas & valeas, multùm tibi gratulor. Etiam optimè merito Parenti tuo, quod, miſera & afflicta valetudine, hoc Solatii in Liberis ſuis habeat, ut omnes vitæ moleſtias, ſimul cum Provincia ſua, in illorum aliquando humeros tutò deponat. Ego abſque fulcro & propagine meorum totus jam conſeneſco, & viribus planè deficio. Sola prole Parente tuo inferior. Ad cætera, per omnia illi ſimilis, etiam in Calculi illo agone: in quo uterque per tot annos miſelli decurrimus. Veniet, ac in propinquo eſt decretoria dies, quæ nos, & caducitatem noſtram vinculis hiſce terreſtribus exſolvet, præmio propoſito meliore. De Muſis tuis gratulatoriis pro reditu in Patriam, Dilecte Neuhuſi, honore me affeciſti. Utinam! Eccleſiæ & Academiæ ſiat bono, & illis, per valetudinem meam, quid fructus adferre poſſim. Hiſce claudo epiſtolam, non animum*

mum & affectum: quo optimè tibi cupio, & ſi vita & vires fuerint, honorificè ſemper in tuam virtutem & promotionem ſtudebo. Perge, quo cepiſti auſpicio, & ſparge latius bonæ mentis igniculum, ac ſemina paternæ indolis. Vale Optime ac Chariſſime Neuhuſi. Raptim ad Te Franicæ, 1636. propridie Kal. Iulii.

Eruditiſſimo Ornatiſs. Iuveni,

D. PIBONI DOMA, THEMIDOS & Literaturæ politioris ſtudioſiſſimo; Diſputaturo.

Franekeram.

O*Rnatiſſime* DOMA; Paucos ante dies, cum eſſem Leoverdiæ, Literas tuas lætâ ac amici fronte accepi. Præſertim, quod à Te, tanto Literarum & politioris Doctrinæ Cultore, eſſent profectæ. In tuum quoties incido colloquium, & de re Literaria tecum diſſero, toties tui ſermonis lepore ſingulariè me oblecto. Memini, quàm ingenuè nuper inter nos colloquuti de Academia Lugdunenſi; de vita & Moribus Profeſſorum: quos uſu & familiaritate illic probaveras. Quorum antea famam atque gloriam ſcriptis cognovi, nunc ſingula, Te interprete, perdidici. Nec miror, quod alta & ſublimia Tu ſapias, qui niſi rarioris ævi & prudentiæ Magiſtris ab ineunte ætate es innutritus. Præter Themidos Myſteria & rem forenſem, ſic te Muſis amœnioribus devinxiſti, ut gloria ſis Romuli nepotibus. Te præ cæteris quod amem, & magni faciam, non immeritò fieri vides. Pauci hoc ſæculo, qui veræ Eruditionis medullam rimantur. Plurimos inertia & otium poſſidet. Hoc in primis argumento, mi Doma, nunc lætor, quod tuis me Muſis & magnæ menti Vatem poſtules. Ipſe cum omnium laudum menſuram excedas, ſanè neſcio, an quid tuis laudibus dignum à paupere meâ venâ proficiſci poſſit. Sic ſi judices, ſine amoris

amoris illo glaucomate, pati poſſum, ut hos Theſibus tuis verſiculos facias ſubſcribi.

Credite Friſiades. Et nunc Capitolia nutant
Franica: ſic doctos præmia parva manent.
Et vereor, totus ne Phœbi concidat axis,
Aonidumque ruat ſemiſepulta domus.
AMESIO *nuper vitam Mors abſtulit atra,*
Iam METIO *vitam mors truculenta rapit.*
Vix tumulo libatus honos; necdum atra cupreſſus
Intepuit buſtis; Præfica triſte ſonat.
Sic nunc in Batavas flagrant contagia Muſas,
Et fugiunt pulſæ toto Helicone Deæ.
Sat pœnam luimus Superi: Iam parcite pœnis.
In Scelus, & vulgi ſæviat ira gregem.
Quid Muſas, imbelle genus, damnabitis Orce?
Non talis Stygium præda Acheronta decet.
O bene! quod noſtro redeas Lux, DOMA, *Lyceo;*
Et revoces Muſas, Barbariemque domes.
O bene! tabificos Batavûm quod fugeris ignes,
Et Patriæ ſoſpes ſedibus hoſpes ades.
Franica pro tantis meritis & munere debet
Inclyta cum Lauris Pilea, DOMA, *Tibi.*
Sed metuo; Magni SCHOTANI *à ſole futurus*
Umbra, procul noſtris mœnibus exul eas.
Sic iterum nobis Fato lugemus ademptam
Pallada. Sic noſtras poſſidet alter Opes.

Cæterùm Valere Te jubeo, mi Doma, & noſtrum in orbe alieno amicè quoque meminiſſe.
Dabam Harlingæ III. *Non. Iun.* 1636.

Præſtantiſsimo Iuveni,

D. ANTONIO HOPTILLA,

Affini dilecto.

Princeps ad cuſtodiam corporis adjungat ſibi ſatellites.

Harlingam.

O*Rnatiſsime Affinis,* Quando, poſt gravem militiæ occupationem, domi in præſidio nunc agis, &, in molli quaſi Campania, apud dulciſſimos Parentes, pingue otium ac quietem amplecteris; libet vacivas tibi horas aliqua antiquitatis lectione interpungere. Vt non tantum domeſticos Belgarum mores, aut arma nôris Naſſovidum; ſed ex priſco quoque ſæculo aliquam tibi notitiam rerum compares. Turpe eſt, ſi cum inclytis pace belloque Viris converſeris, & nihil in colloquia, aut convivium apportes, præter trivialem nauſeam, & tricas nugaſque familiares. Ex antiquo foro aliquid depromendum, quo aures animoſque colloquentium afficias. Si cum Principe, aut noſtro Caſimiro, quale Parenti Tuo ſic ſæpè contingit, prudenter diſſerendum, anne collecta rerum uſu prudentia, ſolertique ingenio eſt opus? Plutarchum, aut Livium aſſiduus lege: quorum alter pro tota Bibliotheca tibi ſufficit. In Romana Hiſtoria heſternum mihi occurrit: *Parum tuta eſt ſine viribus Majeſtas.* Atque hoc eſt, quod *Sigiſmundus* Alberto R. genero ſuo Civium jactanti amorem inculcabat. *Fida cuſtodia infortunium excludit.* In quam mentem Thomas Pontanus dicere ſolebat: *amorem incedere inermem; dormire tamen loricatum.* Non malè itaque ſibi & imperio *Romulus* conſuluit, cum ad cuſtodiam corporis trecentos armatos, quos Celeres appellavit, non in bello ſolum, ſed etiam in pace habuit. Quem imitatus *Tarquinius ſuperbus*, cuſtodiam ferociſſimorum juvenum ſibi adjunxit, qui noctu penes regiam

giam excubabant; die autem illius latera cingebant. Tenuerunt illum Conſules Cæſareſq; morem, & Prætorianam fidiſſimorum militum cohortem, & præſidia circa latera & celebria urbis loca diſpoſuere. Poſteriore verò ævo *Auguſtus* & *Tiberius Germanorum*; *Galba Evocatorum*; *Caligula*, teſte Suetonio, *Batavorum Equitum cuſtodiis uſi ſunt*. Sic in ſacris Saulus Regium nactus imperium, ex omni populo ter mille armatos delegit, qui ipſius filiique Regis latus communirent. Rurſus apud profanam gentem, quæ ſalutis & Majeſtatis ſuæ cura fuit! *Perſæ* trecētos ſexaginta quinque Iuvenes ex nobilitate delectos ad manum habebant. *Lacedamonii* trecentis nobiliſſimis juvenibus; *Macedones* Nobilium Liberis circa fores excubantibus; *Indi* pervigilibus fœminis & Eunuchis; hodie verò *Turci* Ianizarorum copiis; *Galli* & *Pontifex* ipſe Helvetiis; alii aliis ſui corporis cuſtodiam commiſerunt. Quantum verò ex neglecta corporis cuſtodia vitæ periculum incurrant Principes, *Iulii Cæſaris* commonſtrat exemplum: qui cum dimiſſis Prætorianis Militibus omnes pro tuenda Dominatione vitaque excubias negligeret, opportunum ſe conjuratorum injuriis fecit. Scilicet,

Quod civibus tenere te invitis ſcias,
Strictus tuetur enſis.

Hoc cum de Auguſto metueret *Livia*, eum monuit, ut ſui corporis cuſtodiam exquiſitiſſimam institueret. Aſſenſit Liviæ *Mecœnas*, Principique ſuaſit, ut præſtantiſſimos equites in ſui cuſtodiam adſciſceret. Et paruit ſuadentium conſiliis Auguſtus: neque ſatellites tantum atque cuſtodes ſibi adhibuit, ſed *lorica ſub veſte munitus ferroque cinctus* in curiam ivit. Quis crederet *Ciceronem* tantam vitæ ſuæ cuſtodiam poſuiſſe: qui de ſe ipſo affirmat, quod in campum deſcenderit, cum firmiſſimo præſidio fortiſſimorum Virorum, & *cum lata inſignique lorica*, in quam irrito conatu ſicam Catilina

giam excubabant; die autem illius latera cingebant. Tenuerunt illum Conſules Cæſareſq; morem, & Prætorianam fidiſſimorum militum cohortem, & præſidia circa latera & celebria urbis loca diſpoſuere. Poſteriore verò ævo *Auguſtus* & *Tiberius Germanorum*; *Galba Evocatorum*; *Caligula*, teſte Suetonio, *Batavorum Equitum cuſtodiâ uſi ſunt*. Sic in ſacris Saulus Regium nactus imperium, ex omni populo ter mille armatos delegit, qui ipſius filiique Regis latus communirent. Rurſus apud profanam gentem, quæ ſalutis & Majeſtatis ſuæ cura fuit! *Perſæ* trecētos ſexaginta quiſque Iuvenes ex nobilitate delectos ad manum habebant. *Lacedæmonii* trecentis nobiliſſimis juvenibus; *Macedones* Nobilium Liberis circa fores excubantibus; *Indi* pervigilibus fœminis & Eunuchis; hodie verò *Turci* Ianizarorum copiis; *Galli* & *Pontifex* ipſe Helvetiis; alii aliis ſui corporis cuſtodiam commiſerunt. Quantum verò ex neglecta corporis cuſtodia vitæ periculum incurrant Principes, *Iulii Cæſaris* commonſtrat exemplum; qui cum dimiſſis Prætorianis Militibus omnes pro tuenda Dominatione vitaque excubias negligeret, opportunum ſe conjuratorum injuriis fecit. Scilicet,

Quod civibus tenere te invitis ſcias,
Strictus tuetur enſis.

Hoc cum de Auguſto metueret *Livia*, eum monuit, ut ſui corporis cuſtodiam exquiſitiſſimam inſtitueret. Aſſenſit Liviæ *Mecænas*, Principique ſuaſit, ut præſtantiſſimos equites in ſui cuſtodiam adſciſceret. Et paruit ſuadentium conſiliis Auguſtus: neque ſatellites tantum atque cuſtodes ſibi adhibuit, ſed *lorica ſub veſte munitus ferroque cinctus* in curiam ivit. Quis crederet *Ciceronem* tantam vitæ ſuæ cuſtodiam poſuiſſe: qui de ſe ipſo affirmat, quod in campum deſcenderit, cum firmiſſimo præſidio fortiſſimorum Virorum, & *cum lata inſignique lorica*, in quam irrito conatu ſicam Cati-

peto, meus labor & bona voluntas in rem Literariam juvandam ne ludibrio & jacturæ prorſum exponatur. Vt olim dixi:

Eſt Tibi Pieridum par fama & cura Sororum.

Nec parum mihi plaudo & placeo, quod præſago de te tunc animo ſcribebam:

Ignorat ſacris dare præmia debita Muſis,
Friſia ni Faſces & Tibi Sceptra ferat.

Faxit de Cœlo Deus, Ampliſs. Vir, ſub tuo ductu & auſpicio diu Reſp. noſtra floreat, Tibi omnia ad votum eveniant. Vale. *Harlingæ, 5. Non. Maji* 1637.

GEORGIVS PASOR, Gr. L. Prof. Amico ſuo, D. REINERO NEVHVSIO, I. V. D.

Harlingam.

OPtime REINERE, *Quem mihi commendaſti, mihi erit commendatiſſimus. Utinam te coràm illum examinandum audirem, à te certa probari methodo! Non dubito, quin illa rara ſit & exquiſita: qui in illam rem natus & educatus. D D. Curatoribus dabo conſilium, ut introducant Grammaticam à Dominis Friſiacis Rectoribus ſcriptam, ubi Syntaxis, in quâ D. Tarens ſudavit, excellit, mihique quum legerem, perplacuit. Agit de Convenietia & Rectione, qui ſunt termini noſtri Philoſophi. Etiam atque etiam à te peto, mi Neuhuſi, ſæpius ad nos excurras, qui unicè in tuum decus & famam ſperamus. Habes à proximo lapide ipſum Heliconа, illic Harlinga ad algam & ſpumas obhareſcens. Veniet illa dies, quando meliora te volent. Age, Literis da vela, & quam cepiſti ad honorem viam macte ingredere. D. Bogermannum, & D. Acronium officioſiſſimè ſaluto, item cunctos tuos Collegas. Illi oves, Vos agnos* CHRISTI *paſcitis. Doleo tamen in tam populoſa Urbe tam paucos eſſe primæ Curiæ auditores: Cum eâdem opera meſſem poſſes facere uberiorem. Sed Iuvenis es, ac in famam te*

 accingis

Digitized by Google

accingis primùm. Cæterùm ex animo atque aſſe Salvere te facio. Sign. ipſis nonis Sept. 1635. Franicæ.

Doctiſſimo Viro,

D. BERNHARDO FVLLENIO, Franekeræ Friſ. Mathematicarum Artium Profeſſori peritiſſimo.

Franekeram.

C*lariſſime Vir*, Quod obierit diem ſuum Vir Literis & ævo meritiſſimus, Georgius Paſor, ſanè in viſceribus ac iliis meis doleo. Iuxta me Magnum illum Virum amavi. Cum inſtitutionis propenſa in me gratia; tum admirabili Pietatis & virtutum zelo. Ita ſuos evocat de ſua ſtatione Magnus ille Imperator. Ad cujus nutum vaſa colligimus, & ſtatim de poteſtate noſtra migramus. Eundum, quò imperat. Volentes, inviti; parendum tamen. Vltra nos rapit avara Nemeſis. Nulla hic pollet ratio, nulla Oratio ſic ſuavis, quæ mortem exoret ſuo lepore. Fateor, ſi ſuffragio & dictatura noſtra vivendum, quàm procul à nobis Fatum hoc infandum fugaremus. Omnia libens ſubmergas, ut ab Orco animam redimas. Aliter in Vita Magni Paſoris: qui poſt locatam Deo & Academiæ diligentiſſimam operam, nihil habuit felicius, quàm corporis ſui ergaſtulo exſolvi, & eſſe cum Chriſto. Quo uno nihil præclarius ab homine profici ac proficiſci poteſt. Fecit hoc ad memoriam ſeræ poſteritatis Divus Paſor. Qui dum vixit, Virtute & Literis, domi, foris, æternam ſibi famam comparavit. *Solis ab ortu, Heſperium ad cubile.* Ex animo quoque doleo orbitatem noſtræ Academiæ: quæ tot jam ictibus vulnerata, dolendum ſanè affligitur. Et neſcio, quomodò tot Virorum damna facilè quis reſarciat; niſi aliquis de cælo Æſculapius. Vale, Vir Cl. & Fatis fruere melioribus. *Harlingæ ad maria. 3. Non. Ian.* 1638.

Ampliſ-

Ampliſsimo Viro,

D. LAMBERTO SICMA, I. V. D. Prætori.

Ad Trabenſem

V*Ir Ampliſsime*, Dabis veniam, ſi rudi & indocto carmine inter faſces & Præturæ tuæ ſplendorem ſtrepere nunc audeam. Facit me ſecurum, vera & vetus amicitia, quam uſque à teneris religioſiſſimè tecum colui. Viderer jucundiſſimæ familiaritatis planè oblitus, ſi non tui nominis memoria in Amicorum albo paginam faceret. Hoc doleo, quod tam curta Ingenii mei ſupellex, ut in tuæ Virtutis & Ingenii dotes nequeam aſſurgere, pro jure & merito tuo. Dies ille illuceſcet, ſpero, quo latius in laudum tuarum præconium & pomœrium exſpatiabor. Quo & animum tibi meum, qui totus candidus & ſincerus, teſte poſteritate, profitebor. *Et non ante tibi claudantur lumina morte.* Hoc tantillum muneris Literarii, in benignam, quæſo, partem accipe: quod vena juvenilis vel ultro mihi dictavit. Cæterùm, Valere te jubeo; Vir amiciſſime & priſtinæ familiaritatis non temerè oblivisci. *Harlingæ, Non. Iun.* 1635.

Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Prudentiſsimis, Reverendis, Doctiſsimis Viris,

D. D. PRAETORI, COSS. SCHOlarchis, illuſt. Civ. Alcm.

AMPLISSIMI Domini. *Habitam nuper Orationem*, de Rectè Informanda Iuventute, *Vobis Dico & Dedico. Ut, quæ oriunda ſub Veſtri Nominis Auſpicio, Veſtro quoque ductu & Patrocinio in Publicum nunc prodeat, ac adoleſcat. Tum demum omnem*

invi-

inuidiam & lividos dentes profligatura, quando talium Virorum armata præſidiis, illum, in publico, Literarum Circum maximum ingreditur. Verum, illa res Invidiam habebit, ſed apud Invidos & Inſcios. Qui impatienter hoc ferent, quod ad exercendæ Virtutis & Diligentiæ præcepta ſeriò nimis inſtigentur. Apud Bonos, bono loco erit Ratio & propoſitum meum. Et nos, qui in ſuis Seminariis Reipub. ſtruimus fundamentum, nihil delectabilius habere debemus, quam Deo noſtri Laboris Depoſitum juſto cum fœnore conſecrare. Nec bene unquam cedet illis perperam & præpoſtere docentibus: qui ſuâ incuriâ & ſegnitie auream Iuventutis meſſem negligunt, aut illam, adhuc in herba, ſuffocant & peſſumdant. Dabitur à Nobis opera, AMPLISSIMI DOMINI, *Veſtræ Civitatis tenellos Surculos, Parentum ſuorum Delicias, in ſpem Salutis publicæ, ad aliquam Eruditionis maturitatem promoveamus. Ad Pietatis & Induſtriæ Exemplar ipſi præferemus facem, ne qua lubrica ætas, ſine oculato Duce ac Cuſtode, per obſcurum & medium profundum eat. Et Vos, Boni* CIVES, *Si quid detrimenti* SCHOLA *Veſtra acceperit, ex longi temporis injuria, nunc reſpirate, & ſobolem veſtram, ſi ad aliena caſtra tranſierit, poſtliminio in Vrbem revocate. Habebit* ALCMARIA, *quod à vetere ſuo Helicone in Literarum deſideria derivare poſſit. Vos,* DOMINI, *manus date auxiliares, Rem Literariam digna Liberalitate juvate; bene merentium labores ſpe, præmiis ſublevate; otia, inertiem jure ſuppliciiſque condemnate. Vobis,* DOMINI, *apud omnem poſteritatem honori ac decoro erit, de Bonarum Artium Studiis egregiè demeruiſſe. Nec unquam melius collocare opem & operam poteſtis, quàm ſi in Muſarum ſalutem ſalutaria Conſilia ac remedia ſuſcipiatis.*

Faxit! Ille de Cœlo Opt. Max. DEVS, VOS DOMINI, *Rem Civitatis Publicam, & Iuventutis Veſtræ Gymnaſium diu & feliciter ſartum tectumque conſervetis.*

Alcmariæ ex Muſeo meo Kal. Ianuariis. 1639.

Con-

Conſultiſsimo Viro,

D. BERNHARDO SCHOTANO, I. V. D. Apud inclytos Vltrajectenſes Profeſſori Primario.

Vltrajectum.

C*Lariſsime Vir*, Pauci ſunt dies, quod literis meis te inviſerim. Quod nimis doleo, penitus incertæ fidei Nautis ac Notis ultimas meas concredidi. Ad manum non erat præſens occaſio, aut noti commatis homo. Res tamen urgebat. Quare per Amſtelodamum iter tentavi, rectà ad tuas ædes, publicâ, ſine dubio, fama illic nunc ſatis inſcriptas & tritas. Homines humana fide vivimus, & tutò ad manus tuas veniſſe, literas, ſpero. Libet nunc ſine periculo, Concivem, noſtrum parvo Epiſtolio onerare, ut nuperi ſermonis argumentum memoriæ & menti tuæ refricetur. Hoc à Te peto, Cl. Vir, Literarium illud officium benignè mihi præſtes, meas operas tua ope & auxilio nunc juves. Noſti ſincera mente Neuhuſium, ſic cupidum, ſic amantem tui. Odi illos, qui frontem fuco perfricant, animum mille rugis obnubilant. Cum illis optem vivere & mori, quos zelus aliquis, & ſine ſupercilio Pietas à plebe & cæno illo vulgari removit. Etiam illam fore in propinquo, dieculam ſpero, quæ ſale & menſa nos coram hilarabit.

Vos ſapitis cunctas Thymbræi Numinis artes;
Exiguas nobis Muſa miniſtrat opes.
Vos bibitis pleno Themidos de fonte liquores;
Nos leviter tantis ora rigamus aquis.
Ne ſimus opprobrio, deſpectaque nomina vulgo,
Ferte aliquam nobis jure favoris opem.

Cæterùm valere Te cupio, Vir Clariſs. cum Collegis tuis & Conjuge Chariſſima. *Harlingæ Id. Iulii* 1636.

Ampliſ-

Ampliſſimo Viro,

D. AHASSVERO A VIERSEN, I. V. D. Quæſtori Prov. & Syndico Leoverd.

Q Vod donem lacrymas & flebile Funus Amici,
Ne malè, VIERSENI, *Conſule: juſſit amor.*
Hæc facies & vita hominū. Quo diſcimus, unam
Non Iuvenes Nemeſin, Fata eademque pati.
Hic amat; ille dolet chari conſortia lecti:
Illa Virum tumulo ſervat; at illa Toro,
Sic tædas, interque faces ſe vita reſolvit.
Heu! quàm diſſimili ſed face vivit Amor.
Nos ſumus in blandæ Veneris modò regna recepti.
Tu colis ISKIADEM; *Me meus Ignis habet.*
Nec mare tot ſpumans undis, tumidumque procellis
Sopiat urentes corda jecurque rogos.
Sit felix hæc Flamma Tibi, Nobiſq; perennet!
Non locus hic Parcis triſtibus, at Veneri.

Harlingæ Friſiorum 12. Kal. Iulii 1636.

Reverendo Clariſſimoq; Viro,

D. IOANNI PICCARTO, Doct. Medico, Cognato.

Egmondam.

R*Everende Vir,* Nuper Egmondam ad Te venire penè per fidem addixeram. Et volui libentiſſimè meam Boëthiam illò terrarum deducere, ut ſciret, quàm beato illic rure & ſorte viveres. Etiam hæc Canicularia feriis & peregrinatiunculæ deſtinâram, ut cum novâ Nuptâ extra Patriæ ſemel pomœrium me conferrem. Ne putet in unius Patriæ ſolo, fæminarum tenaci opinione, & in Friſiis inprimis omnes Veneres ſtabile Domicilium habere. Vovi ex animo, mi Cognate,

Floram

Floram tuam vidiſſe hoc florido Vere, & anni tam jucunda temperie. Quod intimè doleo, promiſſa mea exſolvere nunc nequeo, & de via ſic longùm deviare: Etſi domo hic abſim, & in Batavis jam agam, Tibi penè à Lare & latere. Vis cauſam? Avunculus meus in mora, qui Geldriam nos fecit viſere, & illa loca, ubi nuper trux Croata & miles barbarus animam & fugam dabat. Inde Vltrajectenſem tractum, ubi nunc novus Parnaſſus & Helicon. Adeo inter Amicorum vota diem tranſegimus, & temporis fecimus diſpendium. Nunc Muſæ ad penſum me vocant: quæ, vereor, ad proximum Autumnum lichno & tenebris me mulctabunt, quod illis auroram ſuam abduxerim, & ſacra mea ad hyemis reſervem pruinas. Si bono talo Res & Fata ſteterint, alterum hinc annum vobis promitto, ſed fide magis firma & meliore. Hodie Amſtelodamo in Patriam navigamus, ventis ac Aeolo faventibus. Hoc novi in hac Vrbe: Henricus Caſimirus Friſ. Gub. multo & ſubito Equitatu Bredam circumvênit; Principe nunc etjam adventante cum omnibus copiis. Iactata eſt magnæ rei alea. Deus de Cœlo res & ſortem noſtram juvet & moderetur. Belgium quoque à Mauris & Barbaris ſartum tectumque ſervet. Vale, mi Cognate & noxam nobis remitte. *Dabam Amſtelodami poſtrid. Kal. Iun. 1637.*

Reverendo Clariſſimoque Viro,

D. IACOBO A TEYLINGEN,
I. V. D. Coſ. Alcmariano, Scholarchæ.
Kal. Ian. 1639.

NVnc *ſua* MECOENAS, *redit in Natalia* IANVS;
Nunc ſacra nobis luce December abit.
Demigrat ſic triſtis hyems, tenuemq; minatur
Canitiem terris exiguumque gelu.

Pro-

Progreditur formoſa dies, cum læta ſuſurro
Mulcebit Zephyrus rura ſacrumq; nemus.
Nos ubi triſtis hyems, & mors ſemel occupat umbris,
Non Ver, non nobis ulla Iuventa redit.
Vmbra ſumus ſtipulæq; leves, ſpoliumq; ſepulchri,
Ac mundi tantum ſcena, & inane Nihil.
Dii faciant! Sic tota ſiat non ſubdita Morti
Vita, ſed Ingenio ſit fuga parta tuo.
Et Tibi perpetuum ſit fas Helicona tenere,
Cumque novem Muſis conſenuiſſe Seni.
Iſta precor IANI *auſpiciis. Det proximus Annus,*
Ex voto & meritis Fata venire tuis.
Vive diu faſceſq; teno. Vis nulla nefaſque
Demetat Ingenii fila decuſque tui.
Corruat in caſum Babylon. Germania rurſus
Libera conſpicuum tollat in aſtra Caput.
Et Belgas Pax læta beet, ſintq; otia Muſis,
Dirorum & ceſſent prælia Terrigenûm.
Mars ſedeat ſuper arma ferox, ſatiataque bellis
Belgica, pacificis læta triumphet agris.
Et Tu, TEYLINGI, *poßis ut Neſtoris annos*
Vivere, & æthereas ſerus adire domos:
Cui ſummus ſe credit honos: rerumque poteſtas
Quem titulis donat condecoratque ſuis.
Hæc precor, eveniant! ut cum nos Alme reviſes
IANE, *cadat ſacris Victima digna tuis.*

Reverendo Piiſsimoque Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS,

Avunculo, Eccleſiaſtæ Neocle-ſiano.

Neocleſiam Geld:

D*Ilectiſſime Avuncule*, Vt animus mihi præſagit, peregrinus tibi videor, & in altero orbe apud Antipodas degere. Ita me longum à ſcribendi officio ad pudorem uſque ſubduxi. Da veniam Literarum compedibus ſic devincto, ut ad

aures ſcalpendas vix temporis gutta ſuperſit. In medio laborum curſu & animi ſecreta meditatione ſæpè tui jucunda memoria ſuccurrit. Quare Literarum inopiam meæ in te negligentiæ ne imputes, etiam atque etiam rogo. *Amicus in animo, non in atrio quærendus*, inquit ille. Nos hic Harlingæ & Leoverdiæ, Deo ſit gratia, mediocriter valemus. Parentem, ejuſque valetudinem noſtis: quæ indies variat & vacillat magis. Non uno morbo carnifice conficitur. Calculus illum trucidat omnibus miſeriis ac ærumnis. In Deo ſpem habemus: qui unus ſacra nobis anchora, cui innitimur, cui cymbam noſtræ ſalutis concredimus. Henricus, quod benè vortat Deus! hoc Vere in Galliam iturus, in Autumnum rediturus ad nos, cum Lauro & honoribus. Quid longùm ſe extra quærat, domi amicis ita faventibus? Hoc præcipuè rerum ſtatu, quando Sparta illi aliqua obtingere poſſet, vivo Parente, ſtante incolumi favore. Reſp. noſtra, mi Avuncule, ſciſſa in partes, fluctuat ac tumultuatur. Novi homines, novum imperium. Vtinam! iſtis conatibus felix reſpondeat eventus. Sic agitur; hoc modo vivitur, ut patibulum & crucem multi potius mereantur, quàm vitam & lucem. De Amoribus illis Batavis, quos nuper per jocum ad me ſcripſiſti, adhuc rideo. Miſer Neuhuſius, ſi alieno animo poſſit amare. Magis miſerum, ſi alieno in ſolo Venerem tranſmarinam, hic ita benè & benignè amatus. Nondum cum Muſis meis ſic agitur liberaliter, ut hæc otia amatoria mihi permittant. Themidem, oportet, prius excolam, quàm ad Veneris pulvinaria me dimittam. Hic ſiſto & Vos omnes longùm valere, & bene nobis velle, voveo. Tu, mi Avuncule,

Iliacos æquare Senes, aut vincere poſſis.

In Friſiis 1635. Kal. Nov.

Ampliſ-

Ampliſſimo Viro,

D. GERARDO KETH, COS. Harlingano. Cum in Illuſtrium Belgicorum Ordinem cooptatus, Majeſtatem Harlinga ad Batavos commigraret.

A*Mpliſsime Vir*, Tuum à Muſis noſtris diſceſſum, ex animo doleo: qui adeo in Rem Literariam propendas, & de meis quoque laboribus præclarè ſemper ſenſiſti. Hoc magis, quod Vrbs noſtra tam paucos habeat Literatos. Cum plerique aut planè doctrinam oderint, aut parvo illam in pretio ponant, inter tot mercium & lucri opimitates. Tu in moleſta Provincia animū quandoque ſoles erigere, Iuventutem ſpe præmii excitare, omnem operam ad Scholæ ornamentum conferre. Hoc præcipuum Reip. robur dicebas, quando juventuti recta cura adhiberetur. Neque citius collabi regna & Civitates, quàm Literarum honoribus & Doctrinæ fulcris è medio ſublatis. Pro tam propitio in Muſas amore, non potui me continere, Vir Ampliſſime, quin notam mei in te affectus publicè oſtenderem. Et nunc novos tibi honores & ſceptra adeunti hoc parvo Epigrammatio congratularer.

Sic iterum querimur vulnus fatale Sororum,
Præſidioque ſui Numinis orba Schola eſt.
Tu ſpes una novem, KETHSI *Doctiſsime, Muſis:*
Quo ſolùm Aonia nititur artis honos.
Tu præter ſpumas pelagi, ſapis altius undis,
Et vulgi damnas otia fœda ſitu.
Dii *facerent! noſtra poſſes non urbe revelli;*
Sed Patrii longùm Sceptra tenere Fori.
In caſum inclinat diſcordi Friſia Fato,
Et res in ſcopulos exiliumque ruit.

Tu

Tu poſſes aliqua rem lapſam parte juvare,
Et medicam nobis ferre patronus opem.
Si liceat per Fata, velim remorarier Auſtros,
Et dare luctantes in ſua vincla Notos.
Nec tibi propitium peteretur claßibus æquor;
Aut flueret votis unda vel aura tuis.
Heu! nihil obniti quòd fas, aut tendere contra.
Stant adamantæis Fata revincta vadis.
Phœbus ubiq; iacet. Nulla eſt reverentia Vatum:
Deſpicitur Pallas proteriturque pede.
Tu nunc ter gemino, KETHSI, *ſublimis honore,*
AVRIACVM *multa ſæpè juvabis ope.*
Principibus coram magnis, Mundiq; Dynaſtis
Auxilium Iudex conſiliumque dabis.
Nos mare, nos undas inter ſpumamq; miſelli
Vivimus: Hîc Muſas nunc tenet alta quies.
Tu nunc vade decus Magnum; Laus ampla tuorum,
Et Noſtri in Batavis Vive Valeque memor.

Clariſſimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P.
Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.
Cal. Ian. 1636.

Leoverdiam.

CHariſſime Parens, Quàm memini læta fronte ſub hiſce Novi Anni auſpiciis, gratulari tibi ſolebam; & mera inter gaudia genialem illum diem celebrare. Nunc aliter Deo de nobis viſum. Et abſit, illa læta & luctu nunc obliterata cogitemus, inter tot funera & clades noſtræ familiæ. Mediis eheu! ſub lacrymis & atratis vocibus Iani nobis Feſtum recurrit. Ita rerum ſunt vices, nec Fortuna perpetuò bona eſt. Quandoque inſperatis gaudiis differimur; modò luctu inopinato obruimur. Non color unus rebus mortalibus. Per plana, per invia vitæ hanc viam terimus. Non Iunonia avis pennis ſic varia, nec Luna colorem toties mutat, quàm vita hominis in dubias rerum formas

formas ſe vertat. Scena ſumus,& theatri ſpecies. Prodimus magnis animis,læti,& malorum ſecuri. Vltimo vix dato plauſu, perſonam ponimus, & maſculum illud animi robur, ad ludibrium exuimus. Miſeri homines! quos adeo honoris illa vexat dementia, & per præceps rapit ambitio; ut illis nec otium,nec tempus, quo ſemel vivere rectè incipiant,& de ſuo cinere ac linea ſuprema rationem ſubducant. Hæc ſunt,mi Parens,quę toties in improbis hominum moribus reprehendis, quæ voce & ſtylo arguis, ore ac pectore medullitùs doles. Age, mi Parens, & fortem animum gere, dum mundi illam amentiam & Ingenii errorem vides. Tuos quoque caſus animo virili & Chriſtiano, quantum patientia pii affectus permittit, perfer & tolera.

CARMEN CONSOLATORIVM.

Quid fles, Chare Parens, lethalia vulnera Lecti,
Neuhuſiæq; doles Fata ſiniſtra domus?
Quid Cinerem gelidasq; urnas, & Conjugis oſſa
In Viduo quereris nocte dieque toro?
Dulcis & alta quies maternos ſopiit artus:
Quæ nunc Eliſiis læta triumphat agris.
Et dudum vitæ mortalis ſaucia curis
Abramidæ gaudet Sponſa recepta ſinu.
Cum Chriſto, Angelicos inter lectiſſima cœtus,
Humanas ſecum ridet & odit opes.
Scilicet inſtabilis quàm ſit fiducia mundi,
Hæc coram Chriſto cælicoliſque videt.
Illa procul vitæ ſpoliis, nunc nectare Divûm,
Cum Iove & Illiaca paſcitur ambroſiis.
Noſtra procelloſis jactatur cymba periclis;
Neſcia, quò dubiam pontus & aura vocet.
Illius in tutum nuper delata carina
Evaſit ſcopulos & vada cæca maris.
Æternos latices, & vivi fontis honorem
Nunc ubi candidula porrigit Anna manu.

Et

Et ſua dilectæ ſubnectit brachia matri
SARA Soror, Soboles digna Parente ſuo.
Quid fles, Chare Parens, Thalami conſortis amorem?
Quid te tantus habet nocte dieque dolor?
Cum Superis etiam nunc ſunt commercia nobis;
In cœlo & vivis nunc quoque parte tui.
Nos breve poſt tempus, Fato poſcente, ſequemur,
Ignari, nobis quid vehat una dies.
Nil homini tutum, mortali ut veſcimur aura:
Vita perit multis plena ſcatenſq́; malis.
Æacus ad Divûm cum nos tranſcripſerit arces,
Offeret amplexus chara Marita ſuos.
Et Te noſque ſuis plaudens circumdabit ulnis:
Hìc meliore ſuo fœdere juncta Viro.
Sed ſua dum celeres remorantur ſtamina Parcæ,
Et vita ſupereſt ſpes mihi magna tua:
Hæc prius eveniant, ut poſt Babylona ſubactam
Temporibus veniat tarda ſenecta tuis.
Et Tibi, qui fauſto nunc omine naſcitur Annus,
Quàm vetus, auſpicio candidiore fluat.

Conſultiſsimo Doctiſsimoque Viro,

D. GOTHOFREDO IORRITSMA, I.V.D. Senatui Leoverd. à Secretis, Cognato.

Leoverdiam.

SAlvere te jubeo, *Amicorum Ocelle,* Venit hiſce diebus lætiſſima ad noſtras aures aura è Friſiis: quæ Te ad Reip. clavum, & Curiæ illa Conſualia promotum ait. Qui locus, ex eminentiſſima apud noſtrates dignitate, penè ſummus. Ex animo gratulor Amice. Et, quam tacitus imminere tibi Fortunam prævidi, faxit Deus! perpetua felicitate, Virtute, Conſilio auctam florentemque efficias. Noſti, D. Cognate, quàm multa ſæpè interturbent, quàm multa audire cogantur, quibus Reip. commiſſa eſt cura; Quàm ſit varia vita com-

mutabiliſque ratio, quàm vaga volubiliſque fortuna, quantæ infidelitates in amicos, optimè de Rep. meritos! *in quibus homines non modò res præclariſſimas obliviſcuntur, ſed etiam nefarias ſuſpicantur.* Tamen rectà & regia pergendum via, in publico illo tramite. *Propoſita invidia, morte, pœna, qui nihilo ſegnius Remp. defendit, is verè Vir putandus eſt.* Qualem te ſemper animo futurum ſcio, ut invidiam Virtute partam, gloriam non invidiam arbitrari queas. De vulgo hominum nihil miror. Inſtar inſtabilis bracteę, ad omnem populi auram manum mentemque immutant. Quę copiosè iſtic ad oculum vides, & penè in ſapientiæ nunc regulam trahuntur. Summi honoris homines nunc peſtis illa penetravit, ac jam dudum vereor, ad ipſa Reip. inteſtina venenum hoc proſerpit. Quare magna dignum laude Clariſs. Affinem tuum judico: qui etſi procul negotiis, procul cura & Faſcibus, non tamen plebeia conſuetudine ad honores graſſatur. Multò felicior, quando extra ambitionis illum æſtum manet, donec aliquando mali mores optimas leges fecerint, & ejuſmodi Virorum Virtute, Conſilio Reſpublica maximè indigeat. Adde de me & Boëthia mea: qui Laus Deo, in tranquillo hic agimus, inter ipſas amœnitates, & opimitates. Veſtri tamen non immemores: quos in oculis, & pectoribus noſtris. Vbique locorum viva ſemper imagine circumferemus. Nunc amica Vos voce valere, & Alcmariam noſtram inviſere jubemus. *Ex Muſeo Bat. 3. Id. Iulii* 1639.

Cele-

Celeberrimo Viro,

D. IOHANNI COCCEIO,
in almâ Franekerâ Orientalium Linguarum Profeſſori.

Franekeram.

C*Lariſſime Vir*, Venit ad Vos in Academiam Frater meus. Qui priuſquam ad ardua Theologiæ ſe accingat, Studiis Linguarum operam daturus. Quia nemo cum laude & fructu in altioribus Diſciplinis, ſine illarum cognitione, feliciter progredi poteſt. Quibus neglectis per ſcopulos & ſalebras eundum in Myſteriorum magno illo Theatro. Quod ſi plerique noſtræ Iuventutis rectius intelligerent, non tam cœco impetu, quod magnum Reip. detrimentum, ad ſolidas facultates raperentur. Hinc illa Semidoctorum turba: quæ Literis in odium converſis, nihil unquam laudabile aut magnum præſtat. Et quid turpius Sacrorum Præſidibus, quàm ipſos Sacræ Scripturæ natales ignorare; tantum ex commentario ſapere? Memini adhuc, quàm magna olim lite ferri in illos ſolitus D. Amama, Vir æterna laude digniſſimus. Qui unicè unum hoc agebat, ne linguarum Orientalium uſus & exercitatio apud Iuventutem in Scholis & Academiis computreſceret. Et meruit magnum ille nomen iſthoc zelo & Numine. Neque alia fuit cauſa, Cl. Vir, quod Tu, qui à multis jam annis ab illa etiam Minerva inclarueras, è longinquo ad nos ſis evocatus. Magno Patriæ noſtræ bono, & Academiæ emolumento. Ab illa quoque Literaturâ cupiam Frater meus ſuccum & ſanguinem trahat, ut, quando iſtis imbutus artibus; quod ſupereſt ſtudiorum, citius ac felicius ad exitum poſſit deducere. Tu illi filum porriges, & fidam manum in primo illo tyrocinio, ac ſtudiorum incunabulis. Amorem & gratiam,

Digitized by Google

Vir Cl. omni ſemper loco ac memoria promptiſſimè paratam invenies. Vale multùm. *Harlingæ Friſiorum* 4. *Kal. Ianuarii* 1637.

Fratri Chariſſimo,

HENRICO NEVHVSIO, I.C. & Advocato Curiæ Friſ. Supremæ.

Leoverdiam:

D*Ilecte* Frater, Quod feliciter valeas, publico privatoque gratulor. Sed manum & calamum quod ſic raro in literis uſurpes, ſæpe me rodit. Et, niſi multijugas in forenſi negotio occupationes, quæ vix tui juris te ſinunt, probè norim, acerbius tecū de colloquiorum intermiſſione expoſtularem. Plurima ſunt, quæ in Friſiis ſollicitum me habent, Rep. veſtra toties alternante, & in varias ſpecies & figuras tranſeunte. Doleo de Patriæ calamitate, ac puſillæ regionis tam crebro tumultu. Hoc præſertim tempore, cum Catilina omnis abeſſe debeat, & extorqueri de manibus hominum ſica illa belli Civilis. Ad portam pene Hannibal & circumlatrant tot arma ac hoſtes; nos intus exigui honoris umbrâ ambitioſè diſceptamus? Vetus hoc malum, quod ipſis Romanis fatali exitio fuit, cum libera legibus ambitio, more ſancta haberetur. Et apud Vos quotusquiſque eſt, quem avi ſui non pudeat? qui de Sutrina, aut ſterquilinio ſubitò emergens ad imperii faſtigium admovetur. Quò quando deventum, inertes & inutiles fuci languidis voluptatibus deſident, publica, ut rem ſuam, ſiniſtra manu adminiſtrant. Quòd turpius, *decipere*, ut Plinius ait, *pro moribus temporum, Prudentia habetur.* Cave ab illis ſordibus, mi Frater, cave; &, Divi Parētis exemplo, Virtutem in rerum noſtrarum adminiculum advocemus: quâ ſolâ ambire oportet. *Sat fautorum habet, qui rectè facit.* Nec eligit domum, nec cenſum:

Digitized by Google

ſum: nudo homine contenta eſt Virtus. Quare Alexander Severus, *imperium in Virtute, non in decore*, dixit. Et Græcus ille: *παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο*. Quantum ab illo diſcordat vafer ille & Proteus, quem noſti; homo quavis bracteâ levior, & omnium horarum, ut dici ſolet. Cujus ſiquando inconſtantiam atque immanem perfidiam apud me cogito, ſanè Phalaridem aut Mœcentium illi imprecer, niſi cum I. Cæſare malim injuriarum oblivisci. Iam dudum, vereor, aliqua illi Nemeſis circa pedes obambulat, ac tandem *minuat vindicta dolorem*. Noverit Platonis ſentētiam: *Τιμωρία ἀδικίας ἀκόλουθος*. Ego tamen homo homini libens ignoſco; Sed Aeoliam ire jubeo, ut illic animi ſui levitatem tutò deponat, aç in gratiam cum amicis revertatur. Quod ſupereſt, mi Frater, tibi valetudinem, Reip. tranquilla atque otia precor. *Ex Muſeo apud Batavos*. 3. *Kal. Decemb*. 1638.

Clariſsimo Viro,

D. IOHANNI ANSTA,

Med. Doct. experientiſs. Archiatro Harlingenſi, Amico ſingulari.

DOctiſſime Vir, Luctum ac dolorem meum, quem prô dolor! ex chariſſimæ Vxoris triſti Fato concepi, nulla re aut ratione, priuſquàm penna & Muſis illum in publico oſtendiſſem, frænare potui. Fateor, magno vulnere domus tua concuſſa. At Deo illi ſummo ſic placitum, qui erigere illam valet, & mediis in undis conſervare. Quantum ad Te, Cl. Vir, Chriſtianus es. Naturæ legem tanto plus, quàm alii, tenes: Qui quotidie cum infirmitate hominum, morbos & mortes inter, converſaris. Etiam ſolatia Tibi abundè ſuppetunt adverſus mortalia, quæ filo ſic tenui ligata.

ligata. Deum ex toto precor animo, rem & domum tuam benignus tueatur; Nobis vitam & valetudinem, hoc tam triſti tempore, inter tot Fata conſervet ac tueatur. Meas autē Lacrymas, in urnam Chariſſimæ tuæ profuſas, in conſolationem ac medicinam adhibe. Vale, Vir Clariſs. *Ex Muſeo meo 15. Kal. Iun. 1637.*

CONSOLATIO FVNEBRIS.

Sic nunc, Magne Virûm, Dilecta Conjugis Oſſa,
Deliciaſq́; tuas proſequeris lacrymis.
Eheu! quàm dubium mortales vivimus ævum!
Quàm res eſt hominum, ſpeſq́; caduca nimis!
Ut flos manè virens ſero cum Veſpere languet:
Sic celeri inconſtans turbine vita fugit.
Ergò unà periere omnes in pectore ſenſus,
Triſtitiam præter materiemque mali.
Exoſus manes amens inquiris amantem,
Vitæ quæ fuerat Duxq́; *Comeſq́; tua.*
Sic turtur ſua fata dolet, ſubque ilice mœſtâ
Flebilis, exſtincta compare, pangit epos.
O! quàm difficile eſt vita conſorte carere;
Et non ad curas Conjuge poſſe frui.
Conjuge ſub tali Pallas miteſceret ultra,
Et rigidus ponat Cato ſupercilium.
Fœmineum ſupra ſexum laudabilis Illa,
Et rara Morum dote fideque fuit.
Quod poterat laudare Virum, MARIA *tenebat;*
Iudicio, fallor? major, an Ingenio?
Quod poſſit frænare tuos, Vir Clare, dolores,
Conjugis exemptæ Nomen Honoſq́; *facit.*
Argue, non Medicos. Fato parêre neceſſe,
Quando ſuum virus Mors truculenta jacit.
Nulla ſoporiferis aconitis cura medetur,
In mortem & Parcas Pharmaca nulla juvant.
Omnia ſunt nihili. Medici migrabimus ipſi:
Nec datur in gelidos ulla medela rogos.
Deſine luctari. Cœloq́; aſtriſq́; recepta
Humanas Uxor ridet & odit opes.

Inter

Digitized by Google

Inter Cælicolûm turmas de Carne triumphat,
Et coram CHRISTO *gaudia dives agit.*

Clariſsimo Viro,

D. GEORGIO PASORI L. A.M. Græc. Litt. Profeſſori. p.t. R.M.

Franekeram.

C*Lariſsime Vir*, Nuper ſub fatali ordine & funeratione tibi aderam: quâ de cauſa vix ſeriò verbulum habuimus, quod contra morem & ritum ſolennem. Nefas erat in luctuoſo ibi loco amoris officia exequi, ac palam familiarius nos gerere. Si opportunitas fuiſſet; liberiore nos affatu aperiiſſemus. Poculum tamen Gratiarum libavimus, & fortè priſco more, quando merum loci Genio & Manibus dabatur. Vt audio, de repentino abitu me accuſaſtis, & voluiſtis diutius apud rogum me detinere. Putavi contra Fati legem hoc eſſe, lugubri agmini tam ſerùm intereſſe. Vt bene noſti, nihil otii aut neglectus cauſa à me commiſſum. Pudor & reverentia in Vos ſic voluit ac juſſit. Si quid peccaverim, diluo culpam munuſculo Literario: quod inter mites & benignos Favonios aërem hauſit. Amores celebro & nugas, planè alienum à tua perſona ludum, qui nunc ſolo cum Numine ætatē & artes profiteris.

Tu dignas ſenio curas animoſq; viriles
Induis, & toto pectore Numen amas.
Numen amas totum: nulla eſt ſine Numine Pallas,
Quæ facit ad curas Ingeniumque tuum.
Non aliena meis hæc ſunt commercia Muſis:
Crimine vita vacat, Muſa jocoſa mea eſt.
Ne pudeat Te, Magne Virûm, poſt Pallada ſacram
Canitiem noſtris addere Carminibus.

Cæterùm Valere Te voveo, Vir Reverende, & longùm ac lætum vivere. Si placet in illo officiolum meum. *Ego tibi omnia facta cupio cupiamq;, quæ voles.* Harlingæ 13. Kal. Maji 1637.

Digitized by Google

Illuſtribus Friſ. Ordd. Delegatis PATRIÆ PATRIBVS. In Dedicatione *Orationis Triumphalis* de Capto Buſcoduco.

Leoverdiam:

ILLuſtres Domini, De geſtâ feliciter Rep. partiſque mari ac terra victoriis Belgica Sacri fœderis illuſtri gaudio triumphavit. Exultarunt boni omnes ſingulari lætitia, Deique in Eccleſiam ſuam benignitatem ſummis in cælum laudibus extulerunt. Ipſa ædificiorum tecta, ipſæ Vrbium munitiones & ruſticorum villæ, ipſa denique in cœlo ſidera communi piorum omnium gaudio viſa ſunt inſignem hominibus victoriam gratulari. In hac publica Belgarum Feſtivitate non potui ego me continere, quin teſtem lętabundi pectoris vocem ederem, & in publico Academię cœtu dulciſſimæ Patriæ gratularer. Hoc qualecunque eſt, Vobis, Ill. Pat. Patres, inſcribo, certiſſimum meæ erga Vos obſervantiæ, erga Patriam ſtudii fideique documentum. Faxit ille Opt. Max. Deus, ut Præpotens Fœderatorum Ordd. Reſp. diu feliciterque floreat, ſubſiſtat. Et in illa Illuſtris Friſ. dominatus, & in iſto Vos, Domini, longùm felices ſoſpiteſque adverſus omnem malignæ fortunæ vim perennetis. Et ego ſub veſtro Patrocinio in commodum Reip. uſum Deique gloriam adoleſcam ac promovear. *Dabam in Illuſt. Friſ. Acad. Franek. 1629. Kal. Novemb.*

Nobi-

Nobiliſsimo Viro,

D. TZALLINGO AB EYSSINGA, Prætori. De Inſtitutione Filii.

Leoverdiam.

N*Obiliſsime Vir*, Quia ſic tua fert voluntas & mea venia, mitto ad Te Filium. Ea tamen lege, ut poſt celebratas domi ferias, ad Studia revertatur alacrius. Imitatus in eo Herculem, qui, terrarum orbe monſtris repurgato, à laboribus abſtinuit, & quietem amplexus. Vel Stoicum illum Catonem, qui, poſt graves exantlatos labores, jucundo ſe otio oblectabat: *Si magnis componere parva licebit.* Atra ſequetur mox tẽpeſtas, & cælum horrendis cõtrahetur nubibus. Viæ, itinera multis intercludentur moleſtiis. Nullum anni tempus magis ad labores & penſum difficilem Iuvẽtutem trahit, quàm illud hyemale, quo inprimis amamus fuliginoſum focum. & tacitam domi quietem. Hoc de Filio tuo, Vir Nobiliſſime, teſtor, quod Virtuti & Doctrinæ ſedulam navet operam, mihi in omnibus perplaceat. Plura in illo & ætate deſiderarem; niſi ex vetere ſtudiorum obſtaculo magnus neglectus. Profectus valde fuit tenellus, vix alicujus fundamenti. Quæ cum diligentia ut emendemus, cùm privatim, tùm publicè in noſtro auditorio operam damus. Ætate & judicio ubi factus maturior, plus incrementi videbis. Quod nuper de Grammaticis me monueris, probo. Cum abſque illa ſcientiarum Matre reliqua facilè corruant: ſicut ædificia fluidæ arenæ impoſita, ſine calce & cæmento. Hoc de Grammaticis meum judicium: Quod ſine illa, ad perfectam Latini ſermonis cognitionem, nemo facilè perveniat. Sed aliqui per ambages & diverticula nimis longè juventutem circumducunt, & futilibus ac inutilibus præceptis ſic intricatam habent, ut potior

ætatis pars ſine fructu tranſeat. Alia mihi mens & methodus. In publica Schola bonas tantùm artes profiteor; Fontes Poetarum & Oratorum interpretor; Logicam, Rhetoricam pro cujuſque captu & indole propono. Eloquentiam, Hiſtoriam, & quicquid Antiquitatum, excerpo: quæ meis diſcipulis non in aurem modo, ſed in chartam & calamos digero. Si quem ex junioribus difficultas remoretur, Palæmona me facio, & canones Grammaticos ad oculum propono, ne quis cæci inſtar palpitet in tenebris. Grammaticæ medullam elicio; vana & inania reſeco, quæ uſus, rerum Magiſter, paulatim & ſpontè docet. Quid ſi Filiùm domi in nudis tãtùm Grammaticis, quod difficulter meum fert ingenium, exercuiſſem, reliqua Eloquentiæ meſſe neglectâ? In ediſcendis regulis elementorum, plus quàm annum contriviſſet: quorum planè erat rudis & ignarus. Credas id meæ fidei, quod optima & compendioſa utar in docendo via, & ad ſingulorum ingenia, tanquam Proteum, in omnes me formas convertam, ſuo loco puerilia non prætercam. Ita tamen, ut viva meis Diſcipulis ſim Grammatica, non illa Præceptorum *rudis indigeſtaque moles*. Nihil doleo magis, quàm quod miſella juventus tot tantiſque Grammaticæ cruciatibus conficiatur. Cum melioris Magiſtri officium ſit, ſalutaria tantùm proponere, & præcipuè rem ipſam & elegantias ſpectare. Hęc, Nobiliſſime Vir, de Filii profectu, meoque in inſtituendo more ac methodo. Precor Deum Opt. Max. Tu, Nob. Vir, Reip. noſtræ bono longùm perennare poſſis. *Dabam Harlingis* 13. *Kalend.* Febr. 1635.

Cla-

Clariſsimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P.
Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

C*Hariſsime Parens*, Anni & Tempora, Mundo ipſo ſeneſcente, velociter ſe nobis ſubducunt. Vix punctum ponas, ubi de præſente ſuperſit veſtigium. Retrò quicquid ætatis eſt, mors tenet. Omnes incerti dum vivimus, ad certum tamen terminum contendimus. Ego quando pueritiæ memoriam recordor ultimam, miror temporis fugam, & ætatis ſic ſubitum incrementum. Vix nati, Adoleſcentiæ flexum tenemus. Quam ſi paullum ultra pedem promovimus, Senium & Mors præ oculis. Vitam humanam accuratè qui inſpicit, miretur meritò illius vanitatem. Hanc plurimi tanti faciunt, ut vix fortunam ſuam norint, quando una miſellis diecula in Mundi illam fabulam prorogetur. Vt vitam & animam teneant, cætera omnia libenti animo deſpiciunt. Nihil cum vitæ illo evaneſcentis gaudio conferri poteſt. Vt mortem declinent, ſe totos potius denudent & exuant. Cum Cynico malint in truſatili dolio agere, quàm apud pios manes ab ærumnoſis ſuis laboribus requieſcere. Hoc unicum ſeriò agunt, vitam ſilentio tranſigant, ventrem & gulam per luxum & otium exerceant. Quàm Tu, mi Parens, diſparem vitam agis! Mortem penè adoras in afflicto illo corpuſculo. Benè optimeque affectus, quando ad aſylum æternæ quietis feliciter ſemel deſcendiſſes. Aliter nos, mi Parens, ſub Novum hoc Feſtum. Deum toto precamur zelo, Te Liberis tuis & Literis diu ſuperſtitem ſervet. *Harlingæ prid. Kal. Ian.* 1637.

STRENA.

Sic gelidum claudit Iani Lux alma Decembrem,
Et longum Phœbus circuit Orbis iter.
Sic Soles Anniq; ruunt & labitur Hora,
Nec lentas patitur noxq; dieſque moras.
Sic, qui deciduo cum Veſpere mergitur undis,
Purior Eoïs Lucifer exit aquis.
Sic hyemem molles Gemini, Ver excipit Æſtas,
Autumnique facit Pleïas orta dies.
Sic, quæ frigoribus ceſſavit vomere tellus,
Depoſitas largo fœnore reddit opes.
Candida naſcuntur redivivis Lilia pratis,
Et nitidis agmen floribus hortus alit.
Alternat Natura vices, velut æquora fluxus,
Et freta perpetuus vaſta refluxus habet.
Nobis, cum vitam ſemel Atropos eripit una,
Nunquam vita redit viribus aucta novis.
Ad tumulum rapimur; flos & citò deperit ævi:
In virides annos nec remeare licet.
Seu roſeas prima pulcher lanugine malas,
Seu fatale caput ruga ſenilis aret;
Virgo Puerq; ſias, Lethæi fluminis undas,
Plenaque mortifero pocula felle bibes.
Non te dives Avûm cenſus de morte reducet,
Non Pietas Lethum triſte rogoſque domat.
Nec tanti Doctrina potens, non gloria tanti;
Imperio ut cedat Mors truculenta ſuo.
Tu ne, Chare Parens, mortem patiâre propinquam,
Hoc Superos ſupplex voce manuque rogo:
Et ne plus nimio damnatis fabula terris
Corporis afflicti diſcruciêre malis.
Vive diu Nobis, Muſis, Patriæque ſuperſtes,
Donec perpetuæ gaudia lucis agas.
Et Nobis cœlo qui nunc Novus imminet Annus,
Hic Tibi propitio Numine proſper eat.

Reve-

Reverendo, Clariſſimoque Viro,

D. MEINARDO SCHOTANO, Doctori & Profeſſori Theologo.

Franekeram.

R*Everende Vir,* Quod à me petiiſti, libens nunc ſolvo. Carmen, inquam, & verba: quibus me Tibi obligaveram. Facilius hoc debitum diſpungo, quam ſi ebur & aurum poſtules. Fateor, magno ære tibi ſim obſtrictus; ſed Literario, & amicitiæ veteris: quâ candor & Doctrinæ vinculum nos ligavit. Hoc doleo, quod tua in rem divinam merita plectro nimis humili nunc complectar, & repere tantùm videar circa faſtigia tuarum laudum. VVinſemiana egerem Facundia & Pieriis iſtis fontibus: quos ſcatere nuper vidimus tanta majeſtate ac gratia. Naſcitur medio Decembri, ſub altâ nive & glacie, meum hoc Carmen. Nec mirum, ſi aliquid frigoris & rigoris trahat à vicinis aſtris & gelido illo Capricorno. Quod tamen fronte ſerena & ſincera, ſcio, accipies, & in animi tui ſacrarium admittes. Cæterùm benigne Valere Te jubeo, cùm Matre Academiâ, quæ tot divinos nunc fœtus ac fructus parturit. Vale, Vir Reverende, & porrò me ama. *Dabam Harlinga* 12. *Kalend. Ian.* 1636.

CARMEN
Inſcriptum Operi Theologico.

Priſca tenebrarum, pluſquam Cyclopea Mundum
Sæcla tenent; Ætas deteriorque redit.
Tu nova Lux, SCHOTANE, *extremo naſceris orbi,*
Qui tenebras pellis Cimmeriumq́ chaos.
A Patrio Phœnix ordiris funere vitam,
In deploratis nunc Cynoſura malis.
Peccatis hominum, vitioq́ iraſceris omni:
Delicium Virtus ſola Deuſq́ Tibi.

Intrepidus CHRISTI *miles,furis ore manuq́;*
In Stiga Tartaream,Panitiumq́; gregem.
Et ne jam toto deſcendat corpore peſtis,
Mentibus afflictis utilis addis opem.
Pharmaca cœleſti miſces fragrantia melle,
Et merum loqueris nectar & ambroſiam.
Miratur tantum Majeſtas Friſica Vatem,
Hactenus Eloquiis obſtupefacta tuis.
Nunc etiam doctos per ſacula digeris ungues,
Ut poßis ſerâ poſteritate legi.
Sic nunquam moreris. Suadaq́; æternus honore
Corporis Ingenii damna rependis ope.

Filio Suo, Reinero,

EDO NEVHVSIVS P.

Salmurium.

DIlecte Fili, *Nos Dei gratia valemus. de veſtra incolumitate gaudemus. Domum aliquando reverſus, quid memorare non poſſes, terris jactatus & alto! Non dubitate, quin Vos bonus Deus ſanctorum Angelorum muniat præſidio: cui porrò aßiduis precibus rem ſalutemque veſtram commendate. De me credite, quod non illuceſcat, non adveſperaſcat ſine veſtræ ſalutis cogitatione. Quod poſſum præſto, & quotidiana pro vobis vota Deo offero, ut vos adverſus omnem malignitatis incurſum protegat, & ſalvos atque incolumes, Virtute doctrinaque inſtructos ad nos reducat. Mi Reinere, Studiorum tuorum finem rectum ſemper certumque intende. Et miſsis aliquandiu Literis humanioribus & Nymphis illis ſolutis, ipſam facultatem pertracta, ne dicaris circa fila & villas tantùm Eruditionis hæſiſſe, ſolida doctrinæ ignarus. In re humanitatis tantum profeciſti, ut reverſus agere poßis, quòd velis. Audi: Rector Harlingenſis, Vir Clariſsimus, Martinus VVybingha, vocatus ad Profeßionem Iuris Franicam. Magni nominis Viri tui fecerunt mentionem honorificam. Sed nolo te vocare ex curſu Studiorum tuorum, & ſemẽtem, quam nunc facis proterere.*

Poſſem

Poſſem aliâs te per Dominos Senatores in locum illum adſciſſere: quod quidem non eſſet vile rudimētum tuæ gloriæ. Sed permittantur illa Deo: qui tibi jam deſtinavit Palaſtram, in quâ te exerceas. Igitur, mi Fili, depone verecundiam, prodi in lucem, ex umbra Muſei in apertum te effer, & publicam arenam diſce pati.

——ὁ δὲ τεοε χρὴ,

Νηπιάας ὀχέειν ἐπεὶ ὐκ ἔτι τηλίκ⊗ ἐσσί.

Si quis eſt, qui Philoſophiam & Hiſtorias profitetur, cum illis gratiam & familiaritatem conjunge. Obſerva illorum dotes, & imitare. Ita doctrina erit uſui, & prudentiam fiduciamque agendi & loquendi addiſces, ex illa converſatione. Umbratile ſtudendi genus non uſque adeo placet. Verſaris nunc in ſolo peregrino, in luce hominum. Inſere te illi, & publicum frequenta, & de rebus Studiorum, & moribus populi, Principumque familiis cum doctis loquere. Victoriæ noſtræ percharíſſimæ nuncius, ſine dubiò, ad aures veſtras pervenit. In noſtrâ urbe turpiter tumultuamur, inſeſſa Ordinum milite, qui ad intolerandas vectigalium conditiones, penè deficiente Libertatis anima, nos adigit. Reges noſtri Suecus & Bohemus cum LX. M. Exercitu in Bavariam contendunt, & narratur hodie, ſed dubia fama, Tillium iterum magna acie profligatum. De felici eventu rerum noſtrarum, & caſu Beſtiæ ac Antichriſti noli hilum dubitare. Noſtri parant expeditionem in Flandriam. Henricus Naſſovius Erneſti F. deſignatus Gub. Fr. in locum Patris, ſi quid illi mortale contingeret. Præterea nihil mihi venit in mentem. Deus te, mi Fili, ſalvum atque incolumem præſtet. Leovardiæ poſtridie Paſchatis noſtri. 1632.

Reve-

Reverendo doctiſſimoque Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS, Avunculo & Eccleſiaſtæ Neocleſiano.

De vectigali apud Friſios Doctoratus Titulo. 1637.

GELDRIA *quod latos peragat gaviſa triumphos,*
Lætor, & ex voto quod Tibi vita fluat.
Nos quoque vitalem ſecuri ducimus auram,
Et bene, ſit Superis gratia, Fata favent.
FRISIA *ſed crebros agitat pro more tumultus:*
Heu! nimis in laudes ambitioſa ſuas.
Sæpius in Patrum diſcors mandata repugnat,
Nec patitur durum ferre ſubacta jugum.
Indomiti virtus populi, vis enthea quondam;
Et nihil invitis cedere jure ſuo.
Nunc tamen in mores antiqui deficit ævi,
Imminuens laudem multa frequensq; ſuam.
Nec Capita in cenſum patitur fundosq; venire,
Et qui de tenui Ceſpite fumus abit;
Prô pudor! Aonias cogit ſervire Sorores:
Eſt vectigalis Laurus, & artis honos.
Non aliter fas eſt nobis inviſa revertant
Sæcula Licinii, fœdaque Barbaries.
Et meritò cedant Friſiis Parnaſſia terris
Munera: ſi Phœbo tollitur omnis honos.
Si non jure ſuo Latialis Muſa fruatur,
Nudaq; Doctorum Nomina ſi vapulent.
Sufficit inſanum Cenſu mulctare Lyæum,
Et rapere in prædam prædia, tecta, larem.
Omniaq; uſuris mordere, abradere ſummam
Carne cutem, cunctas perdere gentis opes:
Quàm vectigali conſtringere compede Muſas,
Nec ſinere Ingenii liberioris iter.
Hæc nobis facies Rerum, Reverende Sacerdos:
Quæ meliore fluant ſidere, Numen agat.
Et Tu cum charâ vitæ Conſorte Valere
Nobiſcum poſſis, Dulcis Avuncle, diu.

Digitized by Google

Ornatiſsimis Iuvenibus,

IOAN. ET ALEXAND. NEVHVSIIS Fratribus Germanis, Philoſoph. & Litt. Stud.

Franek.

A*Mantiſſimi Fratres*, Quod ſic paucas à vobis epiſtolas accipio, non immeritò malè me habet. Septima nunc creſcit Luna, pudet dicere, quod nullam à vobis & Academiâ veſtra ſalutem, nullam amoris illius veteris teſſeram aut viderim, aut cognoverim. Si permagnæ induſtriæ nomine tam longi ſilentii culpam prætexitis, libens excuſationem admitto; ſin aliter, multa magnaque injuria me oneratis. Quam licet decoquere mecum cogar, ratio tamen & remedium eſt ſilentii iſtius commodè ulciſcendi. Plurima ſemper geruntur in Muſarum illis umbraculis & Profeſſoria familiaritate, quæ afficere me aliquo voluptatis ſenſu poſſent; aut in amici affectum & συμπάθειαν ſeriò permovere. Fata & funera habuiſtis, de quibus fama & nudus rumor index mihi fuit, Vobis planè conſopitis. Credo in Ægeriæ Deæ familiari complexu. Nova opus meſſe, & ſupplemento aliquot inſignium Virorum: quibus lacuna illa Academica ſuppleatur. De Clariſs. Vinſemio, Medicorum Coryphæo, eſt quod meritò veſtem mutet veſtrum Lyceum: qui omnium judicio:

Flos populi indelibatus Suadaq́ medulla.

Aut, ſi cum Græco loqui libeat: μαντικὸν ἐν σήθεσσιν ἔχειν κέαρ. Vereor, mei Fratres, à gravi hoc vulnere apud Vos, omnis Medicina intermoriatur, & quis difficulter inveniatur, qui recoquere Galenum illum poſſit. Etſi non diffitear, abundè futuros, qui locum & cathedram affectent, ſi modò parem ab ingenio famam lucemque adferrent. De D. Dammio, non eſt, quod quicquam doleam.

Digitized by Google

leam. Meo judicio, non ignobili ſorte Provinciam permutavit; etſi relictâ Patriâ, ubi, ut fieri ſolet, magis invidiæ ſubjecti ludibrio, minus pro re & jure promovemur. Cæterùm, hoc Vos oro, Sudioſiſſimi Fratres, per hæc Canicularia, quando feriari à laboribus publico Edicto ſoletis, ad nos Alcmariam, quàm poteſtis, celerrimè acceleretis. Clariſſimum D. VVybingha. D. Fullenium plurima impertimus ſalute. *Ex Muſeo Batavo prid. Kal. Iulii* 1639.

Præſtantiſſimo, Ornatiſſimoque Viro,

D. AVGVSTINO HARINGIO, Sub-Conrectori Leoverd. quondam Præceptori.

Leoverdiam.

P*Ræſtantiſſime Vir*; Lethalem domus tuæ cladem, quamvis abſens, ſatis tamen familiariter atque ex animo condolui. Et Meritò. Nam ſi conjunctior nobis eſſes, ſanguinem tecum & ſtirpem haberemus. Multâ conſolatione ut apud te utar, mearum partium & officii non videtur: Ita Divinis Fatorum legibus & naturæ ordine firmiter fretum te novi. Profectò, res humanas ſi paullò attentius ponderemus: quid eſt, quod vitæ hanc lucem adeo cupiamus? In luctu & lacrymis nos dies noctesq; frangamus ac fatigemus? Quid eſt, quod vitam noſtram ſic affigat terreſtri huic glebæ? Spes, metus, labor, opus & opes noſtræ. Et, ſi breve interdum gaudium nos viſat ac recreet, illud quàm multo mœrore & lacrymis diluendum! Quo diutius hæc humana meditor; hoc illa ſæpius deſpicio ac derideo. Es Iuvenis, inquis, ætate, ingenio integer. Nec ſolet vegetos illos annos & animos rerum illa ſenilis nauſea inceſſere. Aliter me docet Fatorum Piloſophia. Quam quod

Stulti

Digitized by Google

Stulti mortales tam parum intelligãt, mirari ſatis non poſſum. Auſim dicere, quod nihil in vita jucundum & amabile, quàm beatum aliquando vitæ portum appetere. Quod ut poſſim, mille votis mortis moram oro ac opto. Non ut vivam, Ventris & otii cauſa ; ſed ad mortem & manes tempori me componam, ne diſcinctus hinc abeam ac avocer. Hæc ſola & ſolida vitæ beatitudo, Virtuti & Deo vixiſſe. Hoc tua fecit, heu! quondam tua Sophia. Quæ, ſupra ſexum prudens, terras reliquit, & ad æthereas illas arces aſcendit.

Nos premit horrendis Fatorum injuria damnis;
Otia cum Superis læta Sophia tenet.

Quod ſupereſt, precor Deum Opt. Max. ne caduca & mortalia ultra menſuram doleas. & illud Euripedis cogites: *Ευνὴ γὰρ καὶ γυναικὶ μορσίμη.* Hîc extorres & hoſpites ſumus. Patria & quies in Cœlo. Salve, mi Præceptor, & Vale. *Dabam Harlingæ xxv. Martii* 1636.

Præſtantiſſimo Iuveni,

D. TARQVINIO POPTA, I. V. Cand. Amico ſingulari, Diſputaturo.

Franequeram.

EN promiſſa, mi POPTA, quæ tandem perſolvo. Sed chartacea, quibus docti devincire ſe ſolent. Materies foret ampliſſima tuarum laudum, niſi nunc eſſem parcior. Illud theatrum tuæ virtutis aperire. Vt Coloſſi magnitudo in brevi ſigillo ſe oſtendit: ſic ingens animi tui decus tenui tantum penicillo nunc adumbrabo. Brevi occaſio erit, quãdo tui ingenii campum plenis quadrigis ingrediar. Felix Harlinga! quæ te ſuperba ac illuſtris erit. Et quamvis Muſas deſpiciat, ſolùm lucro & Mercurio nunc avara, tuæ Virtutis acceſſu, tan-

ſu, tanquam novi ſideris exortu, multum amiſſi decoris recipiet. Hoc tantillum, mi Popta, Carmine Tibi adſcribere placuit, & venturos prædicere caſus. Vale. *Cal. Majis* 1636.

Vatibus æternùm veneror Te, Franica, Numen,
Ingenii quondam lima ſaluſq; mei.
Franica longinquum famâ diffuſa per orbem,
Myſtarumq; potens Nobilitate locus.
Fons ubi perpetuus ſtagnat Termeſſide lymphâ,
Pieridumq; ſcatent & Pietatis opes.
Aſtræa ingentes animos & pectore verſat,
Et Suada antiquo Myſta lepore ſonat.
O bene felices! iſto qui vivitis orbe:
Qui coràm Muſis cernitis ore loqui.
Hic ſua Neptuno fiunt ſacra. Plus valet Arte,
Et rectis animi moribus, Æris amor.
Ut donet Pactolus opes, plus tendimus ultra;
Tiphys & Automedon ſolem ad utrumq; ruunt.
Pallade pro docta proſtat Mercurius. Artes
Odimus. In Muſas quiſquis avarus, inops.
Macte animo Iuvenis! Contra qui fervidus inſtas,
Nec potes in Patriam tam mala damna pati.
Quas vulgus, quas ſpuma levis non æſtimat artes,
In magnum creſcent Nomine, Popta, tuo.
POPTA *decus Iuvenum! Qui nunquam inglorius annos*
Exiget; aut minima parte tegetur humo.

Reverendo Doctiſsimoq; Viro,

D. HENRICO A DIEST,

S. Theol. Doct. ac Profeſſori, in Ill. Sch. Hardervicenâ.

Hardrovicum.

R*Everende Cl. Vir,* Miſit ad me Literas, Vir Cl. Matthias Paſor: quas hinc à portu noſtro ad veſtras oras & littora curarem. Fateor, in meo

meo ſinu ac complexu ad aliquod tempus otiosè requieverunt. Sed in tuto navali; idque propter hyberna & viarum incommoda. Ignoſces, ſpero, amænitates literarias ſic longùm remoranti. Invitus feci, ac ſine injuria. Magni Maris elementum parêre me coëgit, nec potui aliquam amplecti occaſionem, priuſquam Zephyri frigora mollirent, & Thetyos illud regnum navigabile. Nobis & Muſis quod moleſtum atque oneri, defunctus mortali hac vita Georgius Paſor, de Rep. Literariâ immane quantùm meritus! Iuventus Friſiorum ab illo funere non facilè reſpirabit, nunc tanto Viro & Vate orbata. Ni Scholarchæ pro ſuâ authoritate & conſiliis rem illam rexerint, vereor, in illa noſtratium ambitione, locus ille contra malè idoneos, non ſatis tutò vendicetur. Multi inhiant provinciam, & penè pugnant pro illâ Penelope. Dabit, ſpero, Europa, quod in hæc damna remedio nobis erit. Quas incluſi Literulas, da, quæſo, ad Avunculum deferendas: qui vobis in vicinia, ad primum, aut ſecundum lapidem. Veſtro Gymnaſio famam & incolumitatem precor; Tibi vitam & valetudinem. Etiam otia & pacem, qui ad Martis illic incendia divertitis. Vale, Vir Doctiſſime. *Ex Muſeo meo Harlingæ Friſiorum* 5. *Feb.* 1638.

Præſtantiſſimo Iuveni,

D. ANTHONIO HOPTILLA, Affini. Naſſovio pulvere ſordido.

Harlingam.

C*Hariſſime Affinis,* Literas tuas ex Friſia accepimus, duplici indice gratiſſimas. Et à te, quod amanter ſint ſcriptæ, & à Parentibus noſtris quod plurimam nobis ſalutem annuncient. Quæ, poſt diuturnum ſcribendi ſilentium, Voti noſtri ſumma exſpectatio. Superis gratia! quorum bonitate ſic læta perſcribis. Longùm hoc ſiat,

ſiat, ut tam benigna ad nos aura ex Friſiis: ubi hoc amabile etiamnum habemus, Amicorum valetudinem & proſpera audire. Cæterùm, quia Reſp. nihil argumenti calamo tuo miniſtrat, de Diana & Canibus manum nobis imples. Vt, quàm jucundo otio, & venationum ſacris Tu te oblectaveris, illo nos quoque parum demulceas. Sed neſcio, quid volupe & blandum ſiat, per medias hyemis pruinas, per Sarmaticas nives cervam aut leporem ſectari: ubi aliam domi venaturam, aliud auribus aucupium facere poſſes. An verò exulat omnis apud te Cypris, & nullus jam ignis in Achyllæo hoc pectore?

Sic Martem tunica tectum adamantina colis?
Sic geſtas armis Livida brachia?

Bene vortat iſte amor Naſſovio; ac perge patriæ ruinis fortem Clypeum prætendere. Nondum clauduntur jam portæ; nondum feriæ ab armis. Geſtit exire Gradivus, tantò quàm nuper inſolentior.

Eheu! Quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor!

Faxit almus de cœlo Deus! meliore aleâ in hoſtem pugnemus, quàm proxima æſtate: quæ infanda nobis fuit. Novos nunc animos gerimus à novo Vere & hoſtium vulnere. Faciunt hoc Neptunicolæ, qui prædatrici Dunkerkæ extremam noctem & inferias minantur. Vtinam! tota Europâ expellant inviſum Batavis nomen. Vale, mi Affinis. *Alcmariæ in Tomario poſtrid. Kal. Mart.* 1639.

Cla-

Clariſsimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P. Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

C*Hariſsime Parens*, Ad meos revêni incolumis & ſoſpes: quamvis viâ ſatis inviâ & invidâ, turbido hoc aëre, nec commeandum facilè ſic longùm, ſine argumento. Omne ſolum tamen verterem, ut tibi ſolatium adferam & fidam manum. Quod lætor, paullò meliorem te vidi valetudine, quàm nuper. Vtinam! Deo ſic viſum, parum firmiore eſſes robore, & aliquantulum exonerare te poſſes fece maligni corporis. Publicum hoc vulnus, nec tuo tantum malo es æger. Tota Civitas damnum hinc ſentit, juventutis grege diſperſo. Vix dies ſine tormento & tædiis. Nec crediderim quemquam unquam hominum ad miſerias & morbos magis natum. Vna quaſi Minerva ſuo opere & onere non eſſet ſatis, tibi frangendo & fatigando; toti in te montes ac moles ruunt. Reſurgis tamen crebrius poſt ictum & vulnera, viribus recollectis. Quid medicinæ in tam longam labem? quo pharmaco opitulaberis? Vereor ne à Sophocle hoc triſte ac vulgare in ſolatium adhibendum: Νόσους δ᾽ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν. Nunc, ſi parum remittat dolor, lege & oblecta te Triumphalibus, quæ de ingenio Magni Barlæi ad nos. Quid non Eloquentiæ illa valeat procella? Quò non ſe penetret Suadæ medulla? Princeps, Poëta pari paſſu hic ambulant. Vterq; ad immortalitatis viam. Fata ſua nunc patitur Hiſpanus, & duplici penè letho occumbit. Atque utinam! poſtremò illi inferias faceremus, & tandem de jugulis & conſcientia Carnificem illum Regem amoviſſemus. In hoc finio, mi Parens, & Tibi ac Reip. Halcyonia & tranquilla precor. Vale, Vale. *Harlingæ, pridie Nicolai.* 1637.

Reve

Reverendo Viro,

D. IOANNI MARTINIO V.D.M. In Eccleſia Friſ. Deinumana.

Deinamum:

R*Everende Vir*, Tua, ſcio, eſt exſpectatio, ſcire, quid rerum hic agatur. Meum, fateor, officium, de eo certiorem te reddere. Vt dixi, plurimos tuæ parti habes addictos. Totus Magiſtratus, ut ordo nunc eſt, Te deſiderat; Te omnibus votis ſperat & exſpectat. Heri ſuos Delegatos ad presbyterium Senatus miſit, ut venia ipſorum liceret Te huc vocari, & Concione ab Eccleſia noſtra exaudiri. Illi obſtinatè pro ſuo ſtant ordine ac jure: nolle ſe quicquam de ſolito remittere. Tulit hoc ſiniſtrè Magiſtratus. Boni hic Viri rem aliter tentarunt. Quod an quieti tuę, & beato ruri viſum bene, dubito. Venire in aciem & pugnam tuum non eſt: qui ipſe apud tuos ſic tutè & feliciter. Hoc ſeriò conantur, ut primo aut altero dominico ad nos venias. Quod ſi fiat, Reverende Vir, non video, quid poſſis abnuere. Vltro, ac te inſcio hæc eveniunt. Tibi ſarta ac tecta conſcientia. Labor qui agitur, totus alienus. Vt bene novimus, res ſæpè optima difficillimos habet inceptus, lætiores exitus. Vltra non poſſum, nec audeo. Tui eſt judicii, acrius & exactius tecum illa ponderare. Meum tibi zelum & candorem, quantum fas & fides ſinit, aperio. Cæterùm Valere Te jubeo. Literas & ſincerum in iis affectum accepi: quæ ſingulariter mihi gratæ & amatæ fuerunt. *Harlingis prid. Kal. Novemb.* 1636.

Vene-

Venerando Seni,

D. GEORGIO PASORI, L.A.M. Græc. Litt. Profeſſori celeberrimo.

Franekeram:

C*Lariſſime Vir*, Heri ſub lectionem matutinam Literas tuas accepi. Statim pomeridiana prima negotiolum expedivi. Aberat D. Conſul; aderat inſtitor, bonæ notæ miniſter. Qui, quod miror, hodie ad te vaſculum tranſmiſit. Puto ſerius à tabellario perlatâs ad me literas. Eodem res redit, modò, quod amico mandaſti, probè ſit curatum. De flore verò Libyco, Curarum illo domitore, admodum gaudebam. Et ſi fas & otium ſineret, tibi ad tres Cyathos cuperem eſſe compotor. Sanè lætor, Latium illum honorem ſit Tibi curæ & cordi. Hac inprimis in ſenium vergente ætate: quæ præcipuè delectu ciborum & meliore potu firmanda & reficienda. Hoc inter multa Parens meus quotidie conqueritur, quod feces hic bibat & crudam cereviſiam: quæ cauſa magnæ infirmitatis & ſtomachi computreſcentis. Rheni quondam accola fuit. Nunc miſer paludes & ſtagna bibit. Sed de morbo quod ſcribis & infirma ætate, vah! quàm doleo. Aquilam te putavi, & cum Heſiodo tuo bis juvenem. Heu! nunc deficis, & cum luctatore Crotoniate membra tua vides emortua? Memini, quod ita pridem me accuſares, quod Senem te dicerem. Iam ſponte, talem te ſentis, nec ætati tuæ velum amplius prætendis. Ita eſt, mi Præceptor, *pulſis melioribus annis*, venit canities tuo capiti, & parum abeſt ater ille dies. Sed Deus Fata habet in manu, & tam juvenes, quam Senes hac vita evocat. Beata illa tellus, tuos quæ cineres capiet. Et vereor, poſt tuum abitum

& obitum, Friſia, ſi literas & Germanam fidem non oderit, ſerò ac ſeriò de te doleat.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Faxit bonus Deus, præter tua præſagia, diu in terris hiſce morêris, nec communi cum luctu & Academiæ noſtræ funere nimis properè intermoriare. Non mirum, quod pedes arguas & teſtiduneum illum gradum. Bis pueri Senes, bis gradus vacillat. Opus eſt corporis motu & inambulatione. Sic ſtudendum, ſic ad faces & cereos vivendum, ne lumbi ſedendo, oculi ſpectando doleant. *Amant alterna Camenæ.* Tua ætas meritò nũc emerita & rude digna. Parens meus, an cum vivis an mortuis hactenus fuerit, totus dubito. Tori Conſortem ac ſolatium amiſit; ſed ad Deum præmiſit, brevi illam ſequuturus. Quàm ægrè σωμάτιον hoc ſuſtineat, meritò condoleas. Mala hæc Furia tria nobis funera unicum intra menſem dedit. Hoccine Lethæos latices bibere? Tu meliore ut vivas Fato, Vir Reverende, Fatum ſupplex obteſtor. Vale. *Signatum Harlingæ Kal. Feb.* 1636.

Clariſsimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P. Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

C*Lariſs. Vir, Parens Reverende,* De Libello meo, quod lætor, planè juxta me ſentis, & judicio nihil es aliter, quàm ipſe fui. Cuperes tamen phraſiologiam paulò diſtinctiorem, Sententias, Hiſtoriolas methodicè & concinnè magis diſpoſitas. Atque hoc, ais, utiliſſimo huic labori ſummum nitorem & decus conciliaſſet. Tecum ſentio, P. Rev. idem cenſeo. Illud unicum, quod meæ incudi & curæ deeſſe videbam. Cætera favorem & gratiam

Digitized by Google

gratiam ab ipſis Authoribus ab omni Venere & vetuſtate comprobatis, habitura, mihimè dubitabam. Nihil hic meum, nihil novum. Omnia antiquæ prudentiæ & veteris Fori. *Nihil dictum, quin dictum prius.* Hoc ſcire Te volo, P. Rev. non principiò me cogitaſſe de luce publica. Ideò nec ſuis ſedibus ac locis ſic ſingula ad amuſſim & perpendiculum collocata. In proprium uſum hæc ſepoſueram, ut ex optimis authorum lectionibus illa collegeram. Tantùm ad memoriæ ſubſidium, & ſi quando opus eſſet, ex hoc meo Larario quædam ad rem & uſum meum depromerem. Omnia de novo ſtylo deſcribere, nec otium, quo parum abundo, nec LL. Meditationes paterentur. Titulos quoſdam feci communes, ſub quorum vexillis, haſce, quas videtis, Latini ſermonis copias, & Exemplorum & Sententiarum manipulos collegi ac conſcripſi. Cum verò ſtudioſam Iuventutem ita variis & vaſtis authorum commentariis impeditam, tam multis Lectionum tricis implicitam, tot Scriptorum voluminibus miſerè obſeſſam & oppreſſam viderem, quaſi per medium profundum, penè cum diffidentia graderetur, hanc illi opellam meam utilem & compendioſam facere volui: ut quos ego ex Lectione optimorum authorum bene dicendi floſculos ad meas ſolùm delicias decerpſeram; illas pro communi mecum uſu & amicitia juventus poſſideret. Dicam, quod res eſt. Video verſari inter adoleſcentum manus, neſcio, quàm multos malos Phraſiologos, qui aut in unum jurant Magiſtrum Ciceronem, reliquis aqua & igne interdicentes; aut quædam nimis vulgaria, & collecta de trivio explicant; aut ſanguinem & ſuccum nimiis tamen tenebris & ambagibus implicant, involvunt. Quare inprimis Eloquentiæ tyronibus rem me gratam feciſſe videbor, ſi illum per tot authores diffuſum Oceanum ad paucos hoſce quaſi rivulos redegero. Porrò à Te peto, mi Parens, ſi quid in hoc meo opuſculo ad ordinem,

aut venuſtatem deſideres, probè acriterque me moneas, emendes. Quod ſi reſponſo in publicum feceris, habebo ſane, quod poſt Fata & Cineres mihi gratuler; Tibi ſempiterna beneficiorum memoria totum me profitear. Deum ex animo rogo. Te nobis & Friſiæ noſtræ, *mi Parens*, longùm ſuperſtitem & ſoſpitem conſervet. Vale. *Dabam Harlinga ad Mare, Cal. Iun.* 1636.

Præſtantiſsimo Viro,

D. IOANNI IANSSONIO,

Typographo Clariſſimo.

Amſtelodamum.

P*Raſtantiſsime Vir,* Quia multa in Manuali meo Philologico, quæ accuratius per diverſum Characterem & punctationem debebant diſtingui: hoc etiam atque etiam Te rogo, ſi fortè de altera editione cogitares, me primùm de tuo conſilio & incepto certiorem feceris. Operam dabo, niſi vita & vena diſierit, luculentiore aliquando formâ & facie hic fœtus meus in ſcenam prodeat. Studioſæ Iuventutis officium erit, ſi quid Illuſtris elegantiæ ex veterum Scriptorum voluminibus eruerint, hic ad ſedem aliquam communem adjungere.

Plautinos ſales, mel Lipſianum,
Platonem, Vatem Terentianum,
Florem Maronis, Muſam Naſonis,
Sophorum nectar, Suadæ medullam,
Oris divini dulcem leporem,
Parnaſsi novem doctas Sorores
Odit, qui noſtros rodit labores.

Vale, mi Ianſſoni, & Muſarum prælo & ſoſpitati diu perenna. *Harlinga Kal. Iun.* 1636.

Clu-

Clariſsimo Viro,

D. IOANNI PICCARTO, Cognato, Doctori Medico & V. D. M.

Egmondam.

A*Miciſsime Domine Cognate*, Adventum meum Vobis addixeram; ne quid deeſſe meo in vos obſequio & veſtræ exſpectationi viderer. Humanitus feci & humaniter, ut meus tunc animus tulit & amicum quoque deſiderium. Sed in arenâ conſilium accipio, quando parêre me cogit vis illa major. Cœlum, terras, & omnia quæ miſcet ac conturbat. Per me, Cognate, non Scyllas & Charybdes tanti facerem, ut meum ad Vos iter formidabile efficerent. Tamen uxorius nunc ſum, & à propoſito, quod ſemel decreveram, me à Fœmina patior abduci. Quæ non ita præpoſteram ſe ait, ut hoc tali aëre, ſic immanibus procellis teneram ſuam valetudinem periclitetur. Vſque ad aram ſervit amicis, nihil ultra. Iniquis etiam animis ferretis, Amici, ſi tam planè incommodum iter per hæc hyberna & Hyadas arriperemus.

Nunc mare, nunc ſilva
Threïcio Aquilone ſonant.

Cœlum, Fata, res denique familiaris quid cogant, oculis videtis. Si unquam valeat honeſto officio nomen prætendere, nunc licet. Non ficto, non quæſito ad purgandum utimur argumento. Ego ſolus ad Vos excurram, non vultis. Iunonem cupitis, tamen cum ſuo Iove, ne jugo illi quid deſit. Tibi nauſeam facio & ſubiraſceris? Ecce in procinctu ſtamus; jam compta & parata uxor, aperitur limen, in viam nos damus, vicini teſtes. Diſcingit nos magnus ille Imperator, & vi vinctos nos tenet, ac domi tanquam in carcere concludit. Mitior erit dies, qui coram nos hilarabit. Nunc excuſa & Vale. *Alcmariæ* 1638. x. *Kal. Ianuarii.*

Digitized by Google

Ampliſſimo Viro,

D. GERHARDO KETH, Illuſt. præpotent. Ord d. Generall. Deputato, Conſuli Harlingano.

A*Mpliſſime Vir*, Fratris tui Chariſſimi ex hac mortali vita deceſſus tam acerbùm & moleſtè me habuit, ut, præ vetere neceſſitudine noſtra, non potuerim, quin mea lamenta in publicum effunderem. Quod meretur inprimis Divina Ingenii ſui virtus, atque excellens animi indoles. Quibus perverſo hoc ſæculo, & perditis temporum moribus, tanquam ſidus aliquod eluxit. Boni omnes Fatum hoc lugent, & non immeritò Reſp. veſtem ſuam propterea mutet. Amiſit præſidium Senatus, Defenſorem reus, Patronum Pupillus, Cultorem Pietas, Iudicem Doctrina, Mecænatem Ego; Tu Fratrem nunquam ſatis deprædicandum. Qui nunc

Celſior exſurgit pluviis, auditq; ruentes
Sub pedibus nimbos, & cæca tonitrua calcat.

Hoc parvum Literarum & lacrymarum munuſculum, Vir Ampliſſime, fronte, quæſo, ſerena, manu accipe benigna. Quantùm eſt! lætari à funere vitam bonam, Conſcientiam illæſam. Sordent omnia præ fama & fide. Cætera cum ævo velociter tranſeunt. Opes affluunt, dilabuntur. Honores variant ac mutant. Vita ipſa anguſtis limitibus circumſcripta breviter tranſcurrit. Sola virtus æternùm durat, neque dolo neque fatis interrumpenda. Quæ unquam Theologus, aut Philoſophus magno æſtimavit, omnia in Divo Fratre, uſu & familiaritate expertus cognovi. Tuum dolorem, Vir Cl. juſta quin frænet ratio, dubitare non auſim. Naturæ lex eſt: Naſci, mori. *Omnium movetur urna. Et emigrandum, ſive Reges, ſive inopes erimus coloni.* Deum Omnipotentem rogo, quando illi ſic placitum,

tum, nos evocare, tam beato nos omnes funere in portum ſempiternæ quietis tranſponat. Vale. *Dabam Harlingæ Kal. Iul.* 1636.

IN TRISTES EXEQVIAS,

Doctiſsimi & Prudentiſsimi Viri,

D. VVILHELMI KETH,

Trib. pl. & ad Comitia Ordd. Friſ. Delegati. Nuper Militum Patriæ Cenſoris.

Ergò abit, & moritur noſtri tutela Senatus
KETHSIVS: *Harlingæ nobile præſidium.*
Quiſque ſuos patimur manes à funere tali.
Publica, privatim cuncta dolore ſtupent.
Uxor amans ſociæ queritur diſpendia vitæ,
Et plenis lacrymis ora torumq; rigat.
Heu! quàm difficili premeris nunc IDSKIA *luctu;*
Obruitur quantis prima Iuventa malis!
Sic iterum tædas rumpit Mors atra jugales,
Dilectoq; paras altera buſta Viro.
In cunis, pendens materno & ab ubere proles
Abſentem tremulo perſonat ore Patrem.
Te, VVILHELME, *petit, fruſtraq; amplectitur ulnis,*
Cum Matre exanima parvula Filiola.
Te, veniente die, Te decedente, Maritum
Uxor inops animi conſiliiq; vocat.
Vix Batavûm primas Frater delatus ad oras,
Audiit afflictæ vulnera dira domus.
Qui meritò Parcas ſævis proſcindat Iambis,
Oderit ac teſtes in ſua damna rogos.
In lacrymas ſic totus Ego. Mihi perfida Fata
Partem animæ rapitis, dimidiumq; mei.
Diiq; Deæque omnes Plutonia regna ruinis,
Et feriant flammis fulminibusq; ſuis.
Pro ſcelere & tanto Lacheſis, pro talibus auſis
Æacus, & Minos ſuppliciumq; luat:

Digitized by Google

Quod fas inviſis Lethæo à flumine Parcis
Principibus vitæ rumpere fila Viris.
Ah! Pudor & ratio jam dudum Acheronta reliquit:
Virtutum nullus Fata moratur Honos.
Nil valet in Mortem. Pietas, Doctrina, Fideſq́;,
Et Genus & Virtus, omnia Mortis erunt.
In viles animas deſpectaq́; nomina vulgi
Diſtringas aciem trux Libitina tuam;
Et tecum ſubito rapias ſub Tartara Fato,
Quos ſervum vitiis pectus habere juvat.
Qui fas perq́; nefas virtutem illudere docti,
Qui ſpecie blanda diſsimulare ſciunt.
Adde tot errantes & inanes Numine fungos,
Turpes noctivagâ Penelopes ſocios:
Thyrſigerumq́; gregem Bacchi ſcelerumq́; Miniſtros;
Quos Venus & ventris fœda libido tenet.
Hos voret atra dies plenis adaperta tenebris;
Hæc Stygiis umbris victima digna cadat.
Quos vulgi obſcuro virtus ſuper extulit ortu,
Hos meritò Pylii ſæcula longa decent.
Talis erat, primos inter virtutis Alumnos
KETHSIVS: *Angelici pars modò magna chori.*
Qui tantò Harlingâ major, Virtute, Fideq́;:
Quantò Sol terris ſideribuſq́; Poli.
Qui melior, Cineri & cœno quam putre cadaver,
Seu gelidis tumulo vermibus eſca ſiat.
Quod potuit diræ mortis Lethique venenum,
Urnâ tegit. Cœlum mens generoſa tenet.
Hic coram Superis vitæ genialia carpit
Gaudia, mortales odit & exuvias.
Hic crucis èxortem ſperat cum Conjuge Pacem,
Oſculaq́; ambroſiis perpetuata jocis.
Hic illi occurres etiam tunc IDSKIA *Fatis,*
Nunc ubi ſentiri ſarcina nulla poteſt.
Felix, ter nimiùm felix! Qui funere tali
Æterna in cœlis luce beatus ovat.
Diſce Harlinga Mori; Vitam benè vivere diſce:
Eſt Ludus, Luctus, Fabula vita tua.

Doctiſ-

Digitized by Google

Doctiſſimo Viro,

D. IOHANNI HASELBEKIO,

V.D.M. in Inſula Schellingana.

Schellingæ.

R*Everende, Doctiſſime Vir,* Funera & Fata noſtra quod doleas, conjectura non opus. De tuo in nos amore & memoria abundè certi ſumus. Et ſanè, non ſolis hodierni radius, poſt hæc hyberna, jucundior eſſe poteſt, quàm animo mœſto amica tua conſolatio. Quale ſopor feſſis in gramine, tale tuum nobis eſt ſolamen. Et quis repugnet? Neceſſitas & Fatum ſic vult. *Feras patienter, quicquid corrigere eſt nefas.* Commune vitium: *Omnes, dum valemus, recta conſilia ægrotis damus.* Parens meus, eheu! fidâ ſui corporis curâ prorſus caret.

——Solus mutis obmurm urat umbris;
In viduoq́; jacet triſtis inerſque toro.

Deo ſic viſum abſit, dictatori illi ſummo, qui legibus ſolutus, legem & jura ſcribamus. Optima, Chariſſima Mater nunc in cœlo agit gaudia, poſt tot vitæ mortalis tædia. Peccaremus in Sanctos Manes, ſi ſuæ ſalutis ſtationem illi invideremus. Nos ſi mortalia, ſi caduca ſpectemus, quid eſt, quod vivere amplius ſperemus? In hac perverſa Mundi ſcena, quid præ oculis, præ auribus, quàm luctus & lacrymę? Furit maligna ambitio; graſſatur effrænis audacia, dominatur avaritia. Fas, nefas promiſcuè habentur. Omnes malorum manant fontes, Acheronte refuſo.

——Felix! qui funere pulchro
Regna beatorum Cælica victor habet.

Miſerum tamen à ſuis avelli, ſuorum vultu & complexibus arceri. Quod miſerius, abripi ex hac vita, genere mortis tam invidioſo, tam acerbo. Dei tamen manus; Quis illam metuat nimis, aut arguat? Vidit, & vicit hæc monſtra, quod multis penè

 mirum,

mirum, tanquam alter Alcides, Parens meus: qui ſic fracta & feſſa ætate, tamen lethæos illos ſcopulos evaſit. Alia hunc & nos exſpectat Nemeſis. Quam, ſi nobis ſalutare, vinciat potens ille Deus ad providentiæ ſuæ decreta,

——— centum poſt terga catenis.

Hæc etiam veterem Anchiſen tunc fata manebant:

Vix intervallum ſumpſerat illa Furia, cum poſt unici menſis intercapedinem, duas mihi Sororculas à latere abriperet. Et iam Corculum mihi adſudeſcebat ex metu, atque urnam & cineres cogitabam. Servati tamen mediis in undis &, prenſa tabula, vitæ portum tenemus. *Adhuc immota geramus Pectora?* Quem dabis ſic Phyſicum, ſic Metaphyſicum, qui explicet aut enodet tam arcana Numinis conſilia? Demus manus miſelli, & ubi intonet de ſuo Tarpejo Magnus ille Iupiter, preces & vota in auxilium vocemus. *Adhibe hæc, & abſque thure litabis.* Vale, Vir Rev. *Harlingis*. 13. *Cal. Novemb.* 1635.

Nobiliſſimis Academiæ Friſiorum CVRATORIBVS.

Franekeram.

A*Mpliſſimi, Spectatiſſimi VIRI,* Teſtor de R. L. diſcipulo meo, quod, ſub noſtra diſciplina quoad vixerit, induſtria & virtute meum amorem & ſeriam commendationem meruerit. Meâ tamen inſtitutione pluſculum erudiendus fuiſſet, niſi me aliò Deus deſtinaſſet: & illi periculoſum, ſtudiorum ſuorum methodum mutare. Quare non immeritò manu illum miſi. nihil dubito de probi adoleſcentis bona fruge, & in omni vita, ad veram doctrinæ laudem, continua in ſtudiis exercitatione. Eſt in illo,

Et pudor ingenuæ mentis, tranquillaq; morum
Temperies.

Vos

Vos A. A. VIRI, per ardua atque aſpera Muſarum eunti manum date auxiliarem, & dignum veſtra liberalitate alumnum juvate, promovete. Cæterum, V. V. Ampliſs. Vos Reip. & Academiæ bono diu vivite felices ac ſuperſtites: *Ex Muſeo meo Harlingano 1638. x. Kal. Sept.*

Clariſsimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO P. Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

C*Hariſſime Parens*, Hodie ad nos certus nuncius de recepta Bredâ. Quod novas, ſpero, vires & gaudium tibi dabit, etiamſi *media jam morte teneris*. Adeo ſemper Reip. ſalutem deſiderio tuo proſequeris, ut, reſurgente paulisper à clade Eccleſia, firmiorem tunc valetudinem videâre recipere. Magna effecta res eſt, ac ipſum Phlegetonta perrupimus. Hinc, inde in tuto jam ſumus, ac dulce impoſterum in Belgio vivere; Hiſpanicæ ſervitutis jugo ſic procul abjecto. Ego quantum memoria aſſequi valeo, aut per ſeriem Hiſtoriæ colligere, nunquam de cœlo nobis eluxêre feliciora tempora. Et, Tu, mi Parens, quæ de ruina deque periodo Magnæ Babylonis in Fatidicorum libro ſcripſiſti, ratam, ſpero, fidem habitura. De Principe ſanè admirandum, quod tam brevi paucorum menſium intervallo, Vrbem in Europa firmiſſimam debellârit.

——— *per obſtantes catervas*
Explicuit ſua victor arma.

Ad quam proximis annis omnes ſuas opes Rex Hiſpanus congeſſerat: nedum viribus tam potens, ut aperto illam Marte aggrederetur. Ignobili tandem fame, ac poſt annuam penè obſidionem illa potitus. Parum eſt, imbellem Ruræmondam ac pauperem Venloam, quæ obvium quemq; Victo-

rem accipiunt, per turpem proditionem amiſiſſe. Has urbeculas tam forti pręſidio, ad quod omnem ſuam operam impendit magnitudo Auſtriaca tam feliciter permutaſſe, multo maximum eſt. Soli in cœlis Deo gratias debemus, qui tam benigno ſidere res noſtras adſpexit; Eccleſiam & nos omnes ſperare fecit meliora. Vale, mi Parens, Vale. *Ex Muſeo meo Harlingano* XII. *Sept.* 1637.

Reverendo Piiſsimoque Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS, V.D.M. In Eccleſia Neocleſiana.

Neocleſiam Geld.

D*ilecte Avuncule*, Cladem tuæ domus afflictam ac funeſtam, non ſine lacrymis & magno mœrore accepimus. Nec memini hoc tempus, quo tam triſtes & miſerabiles in Friſiam à Te Epiſtolæ ad nos. Niſi illo, cum domo & aris extorres, res fortunaſque omnes metu hoſtium relinqueretis. Nunc iterum tuas ad nos miſerias & Fata tranſcribis. Quinque ſunt funera noſtri ſanguinis, tuæ Familiæ; quibus nos penè ſemineces occupaſti. Florem & decus tuæ domus, ſenectutis ſolatium & gaudium una nunc ſtrage amiſiſti. Idem nos malum nuper exercuit. Et dudum jam tenemus, quàm nigra illa Dea nos cunctos affligat. Rationem ſi quærimus, aut querimur: adſunt nævi & vitia noſtra, quæ Dei vindictam in nos maturant & exaſperant. Neque aliunde eſt, quod flammam & ignes patimur; quod in ſanguine & malorum illo mari jactemur, quàm à noſtris ſordibus ac merito. Nec antè deſinet furor ille divinus, quàm nos culpam noſtram emendemus, aut evitemus.

Hoc fonte derivata clades.
In patriam populoſque fluxit.

De tuis

De tuis illis pignoribus noli ætatem & curas conficere. Deus in meliorem Liberos tuos vitam evocavit: non invitos, aut compede aliqua devinctos. In tranquillo jam agunt & vado ſalutis. Vbi nec timor nec livor illos præpediat. Tetrica & inter ſordes humana omnia. Illi verò ante turbinem & procellas in portum & patriam tutò delati. De Domeſticis hoc ad Te perſcribo: Ego in læto & exſpectato Conjugio. Et Deo gratiam habeo pro vitæ & curarum Conſorte; quā ſic conſimilem naturæ ac moribus dedit, ut voto & arbitriis meis non aliter hanc velim aut formem. Parens meus, eheu! diſpare vivit Fato. Viduus & valetudinarius. Quot dies; tot tædia & dolores numerat: vitæ & curarum ſatur. Illi miſero hora vix labitur, abſque calculi illo immani flagello. Penè longævus in illo morbo, & jam circiter tria luſtra hoc ſaxum volvit. Functionem & officium ſi ſpectes; non miror, ſi Hercules fiat, qui in trigeſimum annum jugum hoc portet, non fractus aut defatigatus. Non patitur, mi Avuncule, pagina me latius exire. Hîc filum & ſtylum abrumpo, & Vos meliore ac mitiore Fato vivere & valere opto. *Harlingæ prid. Kal. Novemb.* 1636.

Reverendo & celeberrimo Viro,

D. IOHANNI BOGERMANNO, S. Theol. Doctori & Profeſſori.

Franekeram.

R*Everende Vir,* Mors Fratris tui unici, quàm altum meo pectori vulnus fecerit, Funebria mea teſtantur. Ingratus eſſem, & Officii mei parum memor, ſi non aliquo teſte & præconio illius Viri memoriam & merita noſtratibus relinquerem. Sed parvus & lacrymabilis hic index mei amoris; quo dolendo cineri & piis manibus parento.

rento. Hoc ſæpius in votis habui, ut notâ me illi ingenuiore probaſſem, propter multa in me benevolentiæ præſtita exempla. Majus ex illo Fato tulit damnum Eccleſia noſtra. Quæ, jam gravi ictu percuſſa, miſerè ſe habet, niſi aliquis Vir ſingularis jacturam reſarcierit. Deo & Fatis hæc permittimus. Te etiam atque etiam rogo, Vir Reverende, meas haſce lacrymas benigno vultu accipias. Non, ut vulnus tui doloris inde recrudeſcat; ſed aliquod Tibi ſolatium & levamen hinc accedat. Quo licet divinitus & alto quodam ſpiritu ſis imbutus ipſe; tamen mearum erat partium, tam luctuoſo funeri præficam agere. Quod ſupereſt, obnixè precor Deum, Te nobis & Patriæ diu ſoſpitem, mihi Patronum conſervet, ac tueatur. Vale, Vir Reverende. *Idib. Septemb.* 1636.

IN TVMVLVM

Reverendi & Doctiſsimi Viri,

D. REGNERI BOGERMANNI,
in Eccleſia Harlingana nuper ſumma cum laude V. D. M.

Chare Vir, æternùm Friſiis quem fama loquetur,
Et grex Iſac dum proſequitur lacrymis:
Quem ſacra Relligio Myſtam ſibi plorat ademptum,
Eheu! hoc tumulô clauditur ante diem.
Hic ô, BOGERMANNE, *jaces, Divine Sacerdos;*
Vermibus hic fœdis eſca Sororq; jaces.
Nunc tua, quæ poterat cautes animare loquendo,
Altis ſub tenebris lingua diſerta ſilet.
Enthea vox afflata Deo, Vox plena ſalutis
Chriſtiadum, putri nunc requieſcit humo.
Sic cineri, ſic ille rogo lacrymabile funus,
Qui puro nobis protulit ore Deum.
Qui populum miranda Sacri Myſteria verbi
Edocuit, vera Vir Pietatis amans.

Quid

Digitized by Google

Quid Tibi tunc HARLINGA *animi, cum nocte ſub altâ*
Talem conficeret Mors truculenta Virum?
Cum lacrymas Urbs tota daret; cum percita luctu
Exanimi, tremeret Curia, Templa, Forum?
Eheu! majorum ſunt hæc præſaga malorum
Funera. Mors tanti Nominis omen habet.
Quid reſtat? primo ſi Eccleſia vertice nutet;
Si Rex ipſe ſuas concidat inter oves?
Peſtis, & ira Deûm latis graſſantur habenis,
Nec tenebras nobis Atropos una parat.
Uritur infelix Lethæis Belgica flammis,
Et viduat populis oppida tota lues.
CHRISTE, *tuas manibus vinctis amplectimur aras;*
Perfugium nobis ſolus & auxilium.
Tu Mortem Lethumq; domas. Tu, quando rebelles
Caſtigas animos & fera Fata *regis;*
Horrida peſtiferi repetunt ſua Tartara manes,
Et rurſum ferias orbis anhelus agit.
Eſt ſatis irarum. Stygii ſubſidite fluctus:
Pallida victrices Mors ſtupet ipſa manus.

Clariſſimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P.
Gymnaſiarchæ Leoverdienſi. Cum Ætatis ſuæ ingrederetur Annum LIII. 1633. XXI. Octob.

Leoverdiam.

C*Hariſſime Parens*, Non ſinit moris mei ſolennitas, ut Muſas & ſacra, coram tot morbis & ęgritudine tua, tamen ſuſpendam. Dies tuus Natalitius eſt, quem à teneris unguiculis ſoleo celebrare. Et Tu, ſcio, in media quanquam morte exanimus jaceres, aliquid gaudii ac ſolatii, ex Carminum meorum gratulatione acciperes. Non quod

quod curam & incudem ſic ſapiant; ſed animum illum Filialem oſtendant, Deo ac Virtuti dicatum & deditum. Vota & preces ſunt: quæ ad Te mitto, illo colore & elegantia, quam docere & præmonſtrare mihi ſoles. Hoc Deum unicè precor; mi Parens, morbo tuo Æſculapium adhibere velit; operam & labores tuos Friſiæ noſtræ perennare. Et qui, in æqualibus autumnis, ad ipſam Calculi torturam & tormenta, Natalis nunc naſcitur, fronte aliàs ſereniore, medios inter plauſus ac gaudia Tibi, ſpero, renaſcetur. vale, mi Parens, Vale.

CARMEN NATALITIVM.

FRigora poſt blandos redeunt Brumalia ſoles,
Et pulſo nobis Vere recurrit Hyems.
Pro zephyris, ſtrident, jucundam halantibus auram,
Et ſiccus Boreas præcipiteſq́; Noti.
Infremit adverſo tempeſtas horrida cælo,
Ventorum nulla ſtat regione fides.
Frondibus ac ſylvis Aquilo decuſsit honorem,
Suaviloquo nullum perſonat ore nemus.
Non flores violaſq́; legunt per prata puellæ:
Deſtituit pulchras forma Venuſq́; roſas.
Sic læti ceſsêre dies, rediêre procellæ:
Temperat alterno ſic Deus orbe vices.
Et tibi jam, Genitor, pulſis melioribus annis,
Canities venis rugaq́; frontis adeſt.
Nec bona tam ſequitur, quam quæ defloruit ætas:
Hæc eſt ærumnis plena ſcatenſq́; malis.
Sic patimur, donec mortales vivimus annos,
Et nos inviſæ tædia lucis habent.
Stat ſua cuique dies & inevitabile Fatum:
Omnibus eſt vitæ lex data, meta mori.
Non Pietas, non rara Fides, non Cenſus avorum,
Non aliquam Virtus afferet ulla moram.
Cum viſum eſt Superis, nobis mors incubat atra,
Et vita occulto labitur acta pede.

Felix!

Felix! qui tacitos egit virtutibus annos,
Et non in fragili ſpem ſibi ponit humo.
Qui Muſas pro dote colit, noctemque diemque
In vera ponit cognitione Dei.
Hac Te, Chare Parens, commendat gloria vivum,
Major poſt Cineres illa futura tuos.
Hoc docet, & ſeris ſcribet Leoverdia faſtis:
Hoc de Te multo Friſia teſte probat.
Hinc bene Cumaam, tuta ſub Pallade vitam,
Et meliore loco vivere dignus eras.
Temporaq́ʒ emeritus Pylios traducere in annos,
Et medio Muſis nunc Helicone frui.
Sed, ſi tam nobis & ferrea ſacula Mundo,
Virtuti ut nullus conſtituatur honor:
Otia ſi dederint & mollia tempora Muſis,
Catera pro vili pro nihiloq́ʒ putas.
Sponte, ſatur vita, delatos ſpernis honores,
Et cane res fluxas pejus & angue fugis.
Ter Te ſorte tua cenſes decieſq́ʒ beatum,
In caſum ſi Te ſoſpite Caſar eat.
Et ruat in ſubitam Meretrix Tarpeja ruinam,
Cum meritò pœnas ſuppliciumq́ʒ luet.
Hac multis ſuperant ſolatia rebus in arctis;
Sunt hac Chriſtiadum vota, preceſq́ʒ tua.
Et nihil eſt majus, quod poſcere Numina poßim,
Hoc ſi te nobis Soſpite Fata ſinant.

Doctiſsimo & Reverendo Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS,

V.D.M. Avunculo dilecto.

Neoclesiam.

R*Everende Vir,* An vitalis aura vos habeat, poſt tam immane ſilentium, penè dubitem. Labitur quartus nunc menſis, quod ultimò per Literas Vos inviſerim: quibus officium ac talionem adhuc nullam reddidiſtis. Miror, Amici, miror, quod tam miti & clemente hyeme manum de ta-

de tabula detineatis. Parum ſanè aberit, quin ad Comitia vos vocem, ac reciduorum accuſem. Ita mutui amoris, ut ſic dicam, ærarium arctè occluditis, quàm ſi nihil nos priſci juris in hoc habeamus. Facite, quæſo, avarities illa diſpereat malo Fato: & quàm prompti ad ſilendum hactenus fuiſtis, tam imposterum ad redimendam Literarum ſolutionem parati ſitis. Vnà fænus à vobis poſtulo, cum uſuris tam longùm ſurrepti temporis. Daniſta nunc ſum, & nunquam magis appetens lucri, quàm ſi fœnora colligam neglecti amoris. Ni ego totus vos ære meo obruam, unde exire difficulter poteſtis, rationes, inquam, ſubducite. Satis inter manus hæſit ſcribendi illud officium: quod ſupra omne æs & aurum æſtimo. Mitto litem. De valetudine hoc habe: Boëthia mea meliuſculè nunc valet. Orba tamen Filiolo: quas Tori primitias terræ matri ſacravit, & antiquæ ſedis obſidem Harlingis reliquit, Nos Kalend. Novemb. cum lare noſtro Alcmariam venimus. Ad ipſum, fateor, Helicona & Batava Tempe. Nec eſt, mi Avuncule, quod tantillum veſtro ruri cedamus; in opimo & optimo uterque aſylo qui vivimus. Faxit Stator ille Supremus! vigor, ætas, citò ne nos deſerânt, in jucundiſſima naturæ hac ſcena. Vxorem, amicos cum familia ampliter ſalvere Tecum jubeo. *Alcmaria in Batavis* 12. *Kal. Feb.* 1639.

Præſtan-

Præſtantiſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. NICOLAO SCHOTANO, I. V. D. Advocato, Sponſo.

Suecam Friſiorum.

CLariſſime Vir, *En Literas tibi gratulatorias de amore Vltrajectino. Quas perire, aut cum blattis & tineis rixari non patiar; etſi nihil ſeriò de cortina tua loquantur. Vatem fama fefellit, tam ficti, quàm nuncia veri. Quod magis lætor, in Friſia amorem nunc celebras,*

Et Tecum IOSINA coit, ſpes altera prolis;
Altera poſt Viduas SCHOTANI Gaudia noctes.

Doctiſſime Vir,

Vltrajectum:

LVdus Amorum tuorum, quem Vltrajecti nunc celebras, in publicum me provocat. Et plectro quidem Poëtico. Abſque illo auſpicio, quaſi bono parum omine ad novas cortinas Te accingeres. Sic vult & poſtulat à me vetus, quam tecum à puero colui, neceſſitudo. Nec dubito, hoc meum officiolum valde tibi placere, & ipsâ magis opportunitate ad manus tuas venire. Benè novi, mi Schotane, illuſtris illa Civitas, quod Viros habeat verè Literatos, bonis artibus non leviter tinctos. Adeo, ut circumſpectum eſſe deceat, quid Apellæis illic ingeniis offeras ac propines legendum. Annam tuam, quam oculis nunquam uſurpavi, ſtylo tamen deſcripſi & meum illi amorem inſcripſi. Te interprete, ſcio, facilè reſciſcet, quis tuus ego Agathes: quâ fide & amore inter nos. Hic deſino. Corpuſculum mellitulum, Oſellum ac roſam tuam ſaluto. Addo corcula Literarum, Avunculos tuos. Vale, mi Schotane, &

ne, & in Typographiam Argi oculis utere; ſed vigilantibus. *Harlingæ apud Neptunicolas. Prid. Kalend. Novemb.* 1637.

EPITHALAMIVM.

Primus Amor, Patriæ dulces dignatus amores,
Et placuit Friſico *Littore lecta Venus.*
Altera nunc, SCHOTANE, *Venus* Plus *provocat* (Vltrà,
Et coram Rheno retia pandis amans.
Et fateor, non blanda ſolo ſe credidit uni
Gratia: nec nobis militat una Venus.
In Batavis etiam Lauri, ſua præmia Muſis,
Et Trajectinos Suada Venuſq́ue manet.
Quos cumulat multo Pallas ſplendore: nec uno
Gloria Virtutis conſcia teſte probat.
Hic Tibi felici cecidit, Venus alea, jactu,
Et deſideriis æther amorque favet.
Patritiâ de gente Tibi nunc ducitur uxor,
Inſeris & claris nomen Imaginibus.
Sic ambos Natalis habet pulcherrimus. Ambo
Virtutum & Generis Nobilitate ſati.
Hic proavos; illic Phœbus quos jactat Avûnclos!
Ille Fori magnas Res agit, ille Poli.
Friſia tantorum luxit diſpendia Vatum,
Faſque Fideſque ſuis orba Patrociniis.
Illa Viri laus, ANNA, *tui. Laus altera, Virtus,*
Et vis ingenii prompta, potenſq́ue Deo.
Hac Sponſus Te dote beat. Dos nulla Maritam
Plus decorat, Virtus quam Pietaſq́ue Viri.
Et neſcis, SCHOTANE, *tuum qua dote cubile;*
Quàm largis animi fructibus ANNA *beet?*
Anna tuis dabit amplexus & colla lacertis,
Cum Te Pieridum vel Themis urget opus.
Anna larem parvoſque fovens ante ubera natos,
Provida conſiliis remq́ue domumque reget.
Luce ſacra, ſic ingenuos ſociatis amores,
Auſpiciiſque bonis dextra fideſq́ue coit.
Quod supereſt: Pilyos cumq́ue Annâ comprecor Annos,
Et vitæ ſaturis tunc ſine felle Mori.

Ampiſ-

Digitized by Google

Ampliſsimo Viro,

D. IACOBO BVTTINGA,
I. V. D. Ordd. Friſ. Deputato IX-Viro.

Leoverdiam.

A*Mpliſsime Vir*, Tacito jam dudum ſilentio Remp. Tibi ſum gratulatus. Nec immeritò. Intereſt communis ſalutis, ſub Literatorum nos eſſe præſidio, & regi à Viris Virtute & Prudentia præclaris. In illo Virorum illuſtri Ordine Tu eminentem honoris locum nunc tenes, bonorum gaudio & applauſu. Ex intimo lætor ego animo, quod illam imperii ſedem nunc teneas, in qua Deo & amicis rem utilem præſtare poſſis. Eget authoribus iſtis ſalus noſtræ Libertatis. Et actum de omni fortuna, niſi viris & viribus novis Reſp. noſtra fulciatur. Hoc Deum ex animo precor; Tu Rem & ſalutem Patriæ in tutum ac tranquillum, cum reliqua Sociorum manu, poſſis deducere: Quæ à portu & ſtatione ſua longiſſimè jam abeſt.

O navis referant in mare te novi
Fluctus. O quid agis? fortiter occupa
Portum.

Quod & propitium nobis ſiat, vita & honoribus diu ſoſpes & ſuperſtes fruaris. Quando per otium licet, aliquando veteris amoris veſtigia, ne planè obliterentur, Literarum alloquiis tere ac ingredere. Hoc faxis, oro, & Valeas, Vir Ampliſſime, Conſultiſſime. *Harlingæ 6. Non. Maji.* 1637.

Dectiſ-

Digitized by Google

Doctiſs. Prudentiſſimoque Iuveni,

D. HERMANNO FEYKENS, Supremum in utroque Iure gradum ſumpturo.

Franekeram.

O*Rnatiſſime Feykens* , Quartus hic annus eſt, quod veteri tuo Neuhuſio vix oculis & leviter tantùm ſis viſus. idque in itinere ac tranſitu, ſine colloquio & amoris ulla refricatione. Animò tamen tui memoriam ſæpius recolui, non ignarus priſtinæ familiaritatis & amicitiæ, non niſi cum Fato & ultimâ illâ horâ terminandæ. Ego, quos ad ſacram amoris aram ſemel admiſi, meo nunquam affectu excludo. Secus apud multos, qui cum aliquo in loco & luce poſiti, ſuorum ſodalium facilè obliviſcuntur. Tibi ex animo gratulor de antiqua fide & memoria tuorum: cujus manifeſtum ad me indicem miſiſti. Puta Literas & ſalutem , quibus tam blandè me affeciſti. De novis honoribus valde lætor. Vtinam! tuo iſti triumpho par ſit mea vena: quam non ita colo & exerceo jam amplius

Me quoq; nunc totum Iuſtinianus habet.
Nec doctrina placet, ſi nihil adferat
Famam præter inutilem.

Odi penè ſolutiores illas Nymphas, & niſi cum cruciatu ad Poëtica me plectra confero. Hoſce tamen verſiculos quaſi vi & Vulcani malleo mihi extorſi. Qui ſi quid gratiæ & venuſtatis habuerint, tuo hoc nomini publicè inſcriptum volo. Vale, mi Feykens. *Dabam Harlingæ Cal. Iun.* 1635.

GRA-

GRATVLATIO DOCTORALIS.

Non ſiccis oculis, non ſine lacrymis,
Ductiſque exanimi pectore queſtibus,
Fas eſt tueri
Promethei miſeros nepotes.
Mox cum cana Fides pulſa receſſerat,
Poſt triſte exilium Leucadii ſenis,
Invaſit orbem
Tetrica colluvies malorum.
Terras continuò Pax bona deſerit,
Mars ad bella vocat, Frauſq; nefaria
Perrupit Orcum
Felle madens, gelido & veneno.
Hinc humana malis mens ſcatet omnibus,
Et præcordia fibraſque medullitùs
Eheu! Nepotum
Urit atrox ſcelerum favilla.
Graſſatur Stygiis libera vinculis
Plutonis rabies. Ambitio improba
Prodit ſub auras
Tartareis ſociata monſtris.
Non Te, Magne Deus, præterit abditum,
Quàm pauci venerentur tua Numina.
Quàm nunc profano
Impietas dominetur orbi.
Multos Heſperii plùs decor afficit
Argenti, Lapidis vel Parii nitor,
Quàm ter potentis
Cura tui ſtudiumque recti.
Virtus labe carens, nudaq; Veritas,
Prudens Simplicitas, Ingenuus Pudor
Debent pudendum
Ludibrium populis malignis.
Tunc ſe vilis Homo prædicat omnibus
Felicem numeris, quando beatulum
Indulſit hauſtum
Gratia non ſtabilis favoris.
Se non ſollicitat, quæ bona poſſidet,

An

An ſint legitimis parta laboribus,
An turpi egenum
Fanore Cappadocem trucidet.
Sic inter vitium fœdaque crimina
Ad vitæ rapimur flebilis exitum,
Sortis caducæ,
Mortis & immemores futuræ.
Claram ter geminæ laudis adoream
Debet poſteritas grata Franekeræ.
Tot quæ reformat
Artibus indocilem Iuventam.
Et pulſis tenebris monte Heliconio,
Purgatoq́ ſitu Friſiaco Foro,
Priſco nitore
Reſtituit Themidem fugatam.
Quæ nuper tenuit tecta ſilentium,
Et torpor ſtupidus ſub juga traxerat,
Auditur illic
Ore loqui Themis ipſa vivo.
Spes eſt Sauromatas, ultra & Iapygas
Iturum ſceleris turpiculum gregem:
Rurſus Saturno
Rege ſuas adeunte terras.
Sic fervet ſtudium nobilis otii,
Sic Doctrina potens, & Themis inclyta
Nectunt virentes
Temporibus Iuvenum coronas.
Quos inter, Patrii Ruris Ocellule,
Non Virtute minùs, quàm Genio potens
HERMANNE, *claris*
Myſta ſacer Titulis refulges.
Et nunc Fatidico plenus Apolline,
Nec tinctus leviter Palladis artibus,
Coram Senatu
Iura doces Veterum Quiritum.
Legum præſidio fortiter aſſeris
Aſtrææ ſolium: dira Proſerpina
Contra feroces
Bilis atra moveat procellas.

Sic

Sic non immeritò Pilea & Annulum,
Doctarumq́; refers præmia frontium:
Qui flos Iuventæ,
Et Patrii decus es Lycei.
Hæc eſt Sparta tuis parta Laboribus;
Hæc ſunt promeritis munera laudibus;
Hoc tutum aſylum
Poſt Themidem ſtudio ſubactam.
O ſi ſarta tuo tectaque Numine,
Ceu poſtliminio, cælitùs afforet,
Rurſum & miſellos
Alma Fides Homines reviſat.

Clariſſimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P.
Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

CHariſſime Parens, Non magis de Bredâ Auriacus, quàm Ego de tuis triumpho natalibus. Et meritò: illud publicum totius Belgii feſtum; hoc familiari noſtro Lari lætum ac ſolenne. Illa præ cæteris juvat voluptas, quæ nos domi habet; quæ animum internè recreat, & vivo quaſi gaudiorum flumine nos perfundit. Hoc unicum eſt, mi Parens, quod in hac mortali vitâ maximè voveam:

Ut benè compoſitis Bellis, & ſoſpite Belgâ,
Tu poſſis vitâ proſperiore frui.
Natalesq́; Tibi veniant ſine febre maligna:
Sit tibi mens hilaris, ſit ſine labe Domus.
Nullaq́; lis animi requiem perturbet, & expers
Tota tibi cedat libera vita malis.
Suſpendaſque tuos morbos ad ſaxa Promethei,
Et novus in viridi corpore ſanguis eat.
Atque illo poſſis ſpatium producere vitæ,
Ut mea te ſoboles nomine ſignet Avum:

Digitized by Google

Et longa ſerie ſeros numerare nepotes,
Qui referant animi pignora rara tui.
Hæc precor. Atque utinam! ſic Divûm Fata loquantur,
Nataleſq́; tuos proſperitate beent.

ALIVD.

Ergò novi redeunt, Natalia Feſta, triumphi,
Et feriunt lætas gaudia bina fores.
Altera lux Batavis ſacra eſt; Lux altera nobis:
Hæc Patriæ Patrem ſervat, at illa meum.
AVRIACVS *Virtute ſuâ concuſſit Iberos,*
Tot furias contra Martiaq́; arma Tagi.
Nos agimus Stygia totidem de morte triumphos,
Contra vim Lethi Tartareamque manum.
Vicimus Adjutore Deo: qui pugnat in hoſtem;
Qui vult NEVHVSIVM *ſurgere nomen humo.*
Quo ſi Cœlipotens in Belgas pergat amore,
Belgica tranquillæ tempora pacis aget.
Priſca ſuos repetet tandem Germania faſces,
Totq́; ærumnarum tempore finis erit.
Et tibi, Chare Parens, poſt tot diſcrimina vitæ,
Natales aderunt candidiore Polo.

Dabam Harlingæ Friſ. pridie tui Natalis. 21. Octob. 1637.

Doctiſſimo Viro.

D. ZACHÆO VENATORI, Med. D. Archiatro Enchuſano.

Enchuſam.

C*Lariſſ. Vir,* Per Literas, & illarum Latorem, Filium, ſalvere Te jubeo. Duplici, inquam, interprete, voto & ſtylo, quo tibi me ſiſto. Vltra nec auſim, nec poſſum: etſi per ferias, & publicam provinciam optimè ſit otium. Tamen domi

mi diſtineor, & vix totus ſum par Literarum illi negotio. De propoſito in Patriam, mentem quoque permutavi, meliore, fateor, conſilio. Et nunc deſiderium protollo in Ver novum, ſi vivam, & volet Deus. Tunc de viâ Vos videbo, & ſolvam pollicita. Fuit nobis pergrata tamen benigna invitatio, quam in illa loci opportunitate nefas negligere. De Filio, & fideli in Muſas affectu noli ambigere. Rem faciet, & ſpem tuam promovebit, ætas & judicium ſi acceſſerint. Addo, à Te & Me quotidie ſtimulus ac admonitio. Poëta teſte:

Nec nocet admiſſo ſubdere calcar equo.

Etſi littus adhuc aliquod arandum reſtet, videt è longinquo portum: quem hac aura, ut ſic dicam, diligentiæ, & favente magni Numinis afflatu feliciter ſatis intrabit. Nos velis & remis ſeriò adurgebimus, ut ſine Vlyſſæâ ambage & ſcopulis, per Literarum illud profundum, in Latium deveniat;

Sedes ubi Fata quietas
Oſtendunt.

Quæ nobis bonam vitam & valetudinem; Reip. firmam pacem & incolumitatem donent. Vale. *Dabam Alcmariæ Batavorum Kal. Sept.* 1639.

Ampliſsimo Viro,

D. IACOBO HILLEBRANDI, I.V.D. Coſ. Harling. & Ordd. Friſ. Delegato.

C*Lariſsime Vir,* Adeſt in propinquo novus Annus, & ſolenni more aliquam fortaſſis metamorphoſin patietur noſter Magiſtratus.

——Cadet alea Fati
Alterutrum merſura caput.

Quod ſi in tuo contingeret imperio, Muſis ac nobis ſic propitio, non parum profectò doleremus. Pauci ſunt, quorum præſidiis noſtra diſcipli-

na & inſtitutio nititur. Aliqui rem & facultatem ſuam ſolummodò curant, Literis in odium vocatis. Aliqui publicis negotiis ita diſtricti, ut neminem à pueris & pulpito clamantem exaudiant. Hæc ævi noſtri infelicitas, ut ipſa Virtutum organa, & Rationis exornandæ inſtrumenta penitus deſpiciantur. Doctrina, Prudentiæ ſola genitrix, ad Vandalorum iterum tenebras relegetur. Quod fiet penitus, niſi liberalibus ingeniis major habeatur cura & reverentia. Tuum, Vir Ampliſſime, erga Literas amorem multis ſemper indiciis perſpeximus. Nuper manifeſtiſſimè: cum exſtinctas Scholarum leges, repetito Conſulari Decreto, ad vitam & veterem ſplendòrem revocares. Quod tamen Senatus Conſultum cum parvi ponderis eſſe videam, Tuam, quæſo, authoritatem denuò interponas, cogaſque rebelles: Ad pacem & otia Muſarum. Vale, Vir Ampliſſime. *Ex Muſeo meo* 4. *Kalend. Jan.* 1637.

Reverendo Clariſſimoq; Viro,

D. IOANNI MARTINIO,
Eccleſiæ Deinumanæ V.D.M.

Deinamum.

R*Everende Vir,* Quid in rem tuam Amici agant & moliantur, libet ad Te perſcribere. Eorum, quæ famam & exiſtimationem noſtram concernunt, ſolemus eſſe avidi & cupientes. Magis Tu, qui hoc tempore ſic in ore & pectore multorum. Nec tantùm ad laudem; ſed ad invidiam quoque. Non ferre multi poſſunt tuum decus & gloriam. Sanè præpoſterè, & cum præjudicio de ipſo Vero & Bono ſentientes. Et mirum, eſſe in Eccleſia, qui ſic mala imbuti opinione, ut falſa de Te prædicent. Intelligunt rem melius ſolertiores, quos non vanitas illa opinionum infecit. Nullus apud noſtrates, qui aliquem in pectore ſalem,

quin

quin manus & mentem Tibi porrigat. Animo ſupra vulgus ſimus, nec tam minuta judicia nos turbent. De illis dolere plus ſoleo, qui invidum nec inimicum habent. Felicitatis umbra eſt invidia, & Virtutem pone ſequitur. *Perflant altiſsima Venti:* Sic livor, non niſi ſumma ingeniorum rotat ac rodit. Noſtri, rationes prætendunt non inanes. Tum, quod Patriam non habeamus ſic ſterilem ab illa meſſe. Tum, quod temporum anguſtiæ vectigal Parſimoniam commendent. Hunc Martem hic agimus. Sic arma in ipsâ Eccleſiâ & pace expedimus. Optandum! Fidei hæc Sacra meliore zelo conficerentur. Meis oculis nondum prævideo, quò res vadant. Turbas habebimus, & concitatos affectus: qui ſacra & profana nunc miſcent. O! ſæcula, quæ vivimus. Te Deum, ex animo rogamus, noſtrûm velis miſereri; rem & ſpem noſtram bono loco collocare. Cæterùm, ſalvere Te jubeo, & diu feliciterq; Valere. *Ex Muſeo meo Harlingano x. Kal. Decemb.* 1636.

Clariſsimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P.
Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

C*Hariſsime Parens*, Nuper penè exanimis, ac ſine ſpe valetudinis tuæ à te abibam. Sic oſſa atque pellis totus eras. Nunc iterum me recolligo ex heſterno illo nuncio, qui pedem te ponere dicebat in plano. Fateor, de nupero propoſito illibenter ſeriò quid tecum. Non quod moleſtiam & molem tanti muneris recuſem, Deo & Reip. ſic utilem. Hoc tanto magis me ligat & malè habet, quod Te ita invalido, & ſub illo onere propemodum confecto, hoc mihi opus exantlandum feſtinem. Deo illi ſummo ſi ſic viſum ac placitum, cupiam Tuteipſe adhuc ſtationem illam obeas,

jam ultra trigeſimum annum in illa vigil excubitor. Nihil etiam, ſine gloriâ quod dixerim, à tuâ gloriâ & veſtigiis me abſtrahat; quando currum illum regere amplius non potes, & ultrò me cupiat iſta Provincia. Tunc fulcrum tibi & Scipio eſſe deſiderem, in illa ætate & meritis. Hodie hinc remigrabo, & Muſas meas transferam aliò: ubi melior illis aura & mollior. Apud Socerum mera turba & tumultus, nec locus meditandi.

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt:
Hic circum Muſas Miles & arma ſonant.

Quod pridem de Bredâ & inſidiis dicebatur, falſum, & præter fidem. Benè eſt, hæc ſic ſpargi. Faciet ad curam & cuſtodiam. Certum eſt, noctes & dies Harpyas illas noſtrę Rei & Religioni graviter minari. Deus Belgii aſſertor Tyrannum, ſpero, in vincula & compedes dabit; ne ſaluti ac Libertati noſtræ nocere quid poſſit. Terra marique ſpem bonam fovemus; Et ab utroque Elemento, domi, foris victorias nobis novas pollicemur.

Stupuere omnes conamina tanta,
Conatuſque novos.

Deum precor, mi Parens, tu tempora illa vivas, & Reip. noſtræ propediem contingere ſic videas. Vale, mi Parens, Vale. *Harlingæ* VIII. *Kal. Decemb.* 1637.

Fratri Chariſſimo,

HENRICO NEVHVSIO, I.V.D. & Advocato, coram Friſ. Curia ſuprema.

Leoverdiam.

CHariſſime *Frater*, Nuper quod mihi negotium concredidiſti, cum fide effeci. Pro tua in illam rem cura, honor & gratia tibi habetur. Prodeſſe poteſt hic favor, tuo quem ſolùm merito quæſiviſti. Eſt illa in Friſiis unica penè via, quâ

quâ ad honores itur, hominum ſibi amorem & propenſionem adjunxiſſe. *Satis quidem fautorum habet, qui rectè facit*; Magna tamen opus velificatione & judicio, rectè faciendo neminem offendere, vera ſemper vindicando in nullius odium incurrere. Illos excipe, quibus æqui & honeſti nulla ratio. Quos amiſiſſe laudabilius, quàm in aliquam neceſſitudinem admiſiſſe. Hoc ſæculo apud bonos benè converſari, circumſpecti eſt ingenii, & magnæ prudentiæ. Abſit tamen demiſſo nimis obſequio cuiquam adblandirier. Vt optimè in vitâ feceris, obtrectatorem invenies ac invidum. Quod parum curat Vir fortis, & magis gaudet.

Simul illa Mundi Conditor poſuit Deus
Odium atque regnum.
Et regnare non vult, eſſe qui invîſus timet.

Hoc verò, vitæ ſine metu degendæ firmiſſimum præſidium, induſtria & charitate ſingulis placere. Quam illi longè aliter, quibus Machiavellianum hoc cordi, aliud promptum in lingua, aliud clauſum habere in pectore. *Et neminem regnare rectè, ſimulare ſi neſciat.* Acherontis hoc eſt, ac merum Diabolum ſapit. *Non eſt vera amicitia, ubi eſt fallax adulatio.* Cauſarum Patronum nihil decet magis, Virtute & Vigilantia. Hæc quod cures, mi Frater, tanta cura & induſtria, ex animo lætor. Nec unquam melius nos patriſſamus, quàm illa inſigni nota & veſtigio veræ Virtutis. Vale, & domi noſtros ſaluta. *Harlingæ* VI. *Kal. Decemb.* 1637.

Doctiſſimo Iuveni,

D. TARQVINIO POPTA, Harling.Friſ. Cum Lugduni Bat. à Celeberrimo ICto D. P. CVNÆO I.V.D. Salutaretur.

Leidam.

A*Miciſſime D. Popta*, Quamprimùm inaudirem de emenſo ſtudiorum tuorum curriculo, & adeſſe publicæ inaugurationis diem: quo Doctoratus ſolium conſcenderes, non potui venam & amorem meum in te, à fundendo carmine continere. Quod ſi maturè ſatis venerit, & ante Feſti tui ſolennia, patiar libenter, ſi quantivis pretii Verſiculos in tuum honorem facias imprimi. Quanquam apud Batavos non deſint Vatum præconia, & ſatis uberes illic fluant fontes, toto manante Helicone; Patriæ tamen, & Civium tuorum putavi officium, domeſtico tibi carmine gratulari. Materiem dedit ſucceſſus publicus: quem tua nunc auxit & cumulavit proſperitas. Faxit Deus! Tibi, nobis, Patriæ omnia vortant proſpera. *Harlingis* V. *Octob.* 1637.

GRATVLATIO DOCTORALIS.

Altera nunc Batavas remanet Victoria Muſas,
Et coram Magno Principe Pallas ovat.
Nec ſatis, AVRIACVM *niveis vectare quadrigis,*
Et circum ſacras nectere ſerta comas.
A Faſtis plus creſcit Honos, quàm Gorgone ſævâ;
Et laus, ingenii quam fovet aur[illegible], manet.
Breda docet, quantis ſuperentur Pergama telis,
Quàm forti veniant parta trophæa manu:
Quot Fatis ſuccumbat Iber, nutentq; Philippi
Imperia, & vaſto vulnere Papa ruat.
Leida docet, quibus auxiliis, quo jure vel arte,
Contra Barbariem providus arma geras:

Et,

Et, mala limitibus Legum Tabuliſq́ coërcens,
Cui tribuas æqua lance fideq́ Suum.
Sic geminos peperit Laurus victura Triumphos:
Marte foràs hoſtem vicimus; Arte domi.
Omnia ab AVRIACO *fluxêre hæc Numine Belgis,*
Qui Patriæ & Phœbo fulcra Laremq́ dedit.
Felix POPTA *nimis! Quem nunc* NASSOIA *tantis*
Condecorat Titulis Muſa, Togaq́ bonis.
Qui, medios inter plauſus Belgiq́ triumphos,
Libera CVNÆO *Pilea Teſte capis.*
Et mox Harlingæ Lumen Columenq́ futurus,
Si ſua Virtuti præmia ſervet honos.

Præſtantiſsimo Iuveni, Aſſini Dilecto,

D. ANTHONIO HOPTILLA, Sub Naſſovio militanti.

Emdæin.

AMiciſsime Affinis, Literas tuas accepi, quas è præſidio ad me miſiſti. Lætor de valetudine, & inprimis affectu in Literas & Hiſtoriam. Quaſi ſine illo temporum teſte, aut annalium fide nulla nobis veritas, aut cognitio. Ita eſt, mi Antoni. Hiſtoria ſapere nos facit, & judicare in omnibus rectè & prudenter. Nec aliter evenire illi poteſt, qui temporum longinqua animo ſuo coram complectitur. Remp. nemo recte gubernare, nec in tribunalibus ſententiam dicere, nec populum in pace continere poteſt, abſque exemplis, & rerum geſtarum memoria. Vnum Livium ſi legas, quot mira, & millia in rem tuam diſces! Sine armis & vulnere penè militem agas; qui in illo Romanas acies & Aquilas ſpectâris. Quantùm poſſum ac valeo, ad crebram Hiſtoricorum evolutionem te voco. Ipſe Alexander Magnus, nunquam ſine Homero, & pugione ire ad ſomnum ſolitus. ut quãdo nocturnæ quieti operam dare non poſſet, cum Achille ac Hectore loqueretur. Prorſus

nihili Martem & arma faciens, niſi exemplo & teſtibus juvaretur. Quod ipſum & in Patre tuo vides, qui non ſolùm caſtrenſi diſciplina & uſu armorum ad illum Militiæ apicem aſcendit, ſed libris quoque & literis. Qui non Galliæ aut Italiæ tantum unquam debebit, quantùm Hiſtoriis Romanæ antiquitatis. Imitare, mi Antoni. Et, licet non peregrinatione hoc orbis ſpatium conficias; faltem temporum illos teſtes ad arma & arcana tui pectoris admittas. Hæc ad Te paucis. Quando domum ad nos redieris; faxim optimi conſilii tibi fiat copia. Nunc Vale, & Patrem, qui mihi ex voto Socer, amiciſſimè ſaluta. *Scribebam Harlingæ 5. Non. Octob.* 1637.

Doctiſsimo Viro,

D. IOANNI MARTINIO, V.D.M. In Eccl. Deinumana.

Deinamum.

REverendè Vir, In horas, ſcio, mentem & manum noſtram exſpectas. Feciſſem maturius, ſi quid de conſilio & arcanis reſciviſſem. Sic ad me venit Cæſarius, tui meique percupidus, qui quid lucis ac rerum mihi aperit. Magiſtratus, ut noſti, omnibus operis Te unum urget ac ambit. Aliter alii, qui pro ſuo jure ac ordine ſtant tenaciter; imò pertinaciter. Nihil de ſuo rigore remiſſuri. Tres hodie delegati, qui in Hollandiam, ad D. Mauritium ituri, Virum ſanè egregium. Cujus tamen ingenium & dotes, hîc frequentiſſimo auditorio bis vidêre, audivêre. Deus eſt, qui coram videt, quò rerum hæc alea eat atque exeat. Solennis hic heri conventus; cui intererat Ordd. Delegatus Kethſius: Qui mentionem de Te fecit honorificam. Et quod tuas in laudes, ipſum Naſſovium, Ejuſque in Te ſingularem affectum adferebat. Dixerat illi Generoſus Noſter Hagis-Batt. tuum apud Harlin-

Harlinganos nomen pro merito commendaret. Viden', Vir Reverende, quid Homines, Amici, Principes Viri quid agant? Quibus ſilentibus, fiet tamen Magni Numinis voluntas. Et,

Invenies aliam, ſi Te hæc faſtidit Alexis.

Ego, Cæſarius, Vir Reverende, ex animo Te ſalutamus, & diu vivere, valere, Nobis bene ſemper velle optamus. *Iterum Harlingis* 4. *Kal. Decemb.* 1636.

Clariſſimo Viro,

D. IOANNI PICCARTO,
Med. Doctori, & Cognato.

Egmondam.

CLariſſime Vir, Literas tuas ſic primo mane accepi, intra ſacram lectionem; cum ad Auditores meos de Divinâ agerem Providentia: quâ genus humanum occultò ubique regitur. Quod mirùm, interpellat tua me epiſtola, tunc temporis tanquam fatalis & de cælo miſſa. Hoc tamen cum dolore præmitto; etiam Vobis, quod ſcio, lacrymis diluendum. Parens, eheu! quondam meus: vitæ ſuæ ſtationem deſeruit, jam paucos ante menſes. Cujus doloris Vos quoque participes fecimus; ut coheredes mutuæ calamitatis. Diris penè illum devoverim, qui non maturius noſtra Vobis vulnera aperuit: qui aliqua nos Conſolationis Medicina juvare & erigere potuiſſetis. Egit ex æterno ſuo Decreto Deus: quod & nos omnes manet ad decretorium illum diem. Parentem ad meliora evocavit, ex terrâ rerum humanarum ſcena. Vitæ exitus, quem, propter Carnificem Calculum, acerbiorem ſolemus timere, non ſic dirus & durus fuit. Quaſi cœleſte gaudium tanti Viri animus jam præſentiſceret. Reverà Εὐθανασία καὶ εὐφημία.

Illum aget pennâ metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.

De Parentis p.m. ſucceſſione fervidè ab amicis laboratur. Vnus mihi eſt Corrivalis in honeſta hac prenſatione: quod mea facilè promerita & ſpem poſſet ſubvertere. Inprimis in Friſia, ubi Virtuti & Doctrinæ perexigua ſunt præmia, & ultra bene meritos rariſſimè protollitur gratia. De negotio Alcmarienſi, D. Cognate, hoc ad Te perſcribo. Si honeſtè atque ultrò me vocent, libens lubenſque patria mea exibo: *Cui teneor non legibus ullis:* Illic Nomini divino meſſem mei laboris magis uberem facturus: Harlingæ ſpumam & undas ſapimus, & nihil quod meas Muſas poſſit inſtigare ad curriculum gloriæ, & laudum certamen.

Duc me Parens, celſiq; dominator poli,
Quocunq; lubitum: nulla parendi eſt mora.
Adſum impiger: fac nolle, Comitabor gemens.

Quod ſupereſt, Amiciſs. Domine Cognate, Deum religioſo precor deſiderio, Te longùm cum tuis ſoſpitem tueatur. *Dabam Harlingis* 3. *Non. Maji.* 1638.

Clariſſimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO P.
Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

CHariſſime Parens, Antiqua eſt conſuetudo, quando per duodena Zodiaci ſigna Sol decurrit, de novi Anni natalibus mutuo nobis gratulemur. Quod ſi fiat animo religioſo, eſt quòd morem illum imitemur. Apud Italos is uſus invaluit, ut illo die ab omni Populo lautiſſima inſtruãtur convivia: adeo, ut nec ipſa paupertas tunc laboret inopia. Tali præſagio; ſi quis optimè ac plurimum comederit, uſque in totum annum bonam valetudinem certò ſibi polliceatur. Apud Romanos Caligula, ne avaritiæ ſuæ deeſſent fomenta, Strenas ſibi dari edixit: qui Kal. Ianuariis in ædium veſti-

Digitized by Google

veſtibulis ſtare ſolitus, ad captandas ſtipes, quas in illum plenis manibus hominum tunc turba congerebat. Et noſtri homines, ſi non illo die ſuum Genium aliqua gratia felicitent, rem prorſus malè natam exiſtimant. Vix Aurora inalbeſcit, cum omnium ora in lætas acclamationes ſolvantur. Crepitu, ſtrepitu, domi, foris omnia perſonant. Meis quoque partibus, mi Parens, ne quid deſim, ſolito more preces & numeros Poëticos ad te mitto. Secus, quàm illi, quorum feriæ & feſta in conviviis & ferculis. Ἀπὸ Διὸς ἀρχόμεθα: A Deo & bona mente, quàm pernicioſo illo vulgi errore, malo initium. Vt Eccleſiæ ac Patriæ Deus benè vortat; Tyrannis ſua veniat pernicies & peſtis; Tu, mi Parens, ſine ærumnoſis laboribus, tranquillam agas Senectutem, Deum ſuppliciter rogo. *Hoc juvat, hæc noſtra ſolennia dona Camenæ.* Prid. Kal. Ian. 1637.

STRENA,

Ad Parentem Chariſſimum, in vita poſtrema.

Emenſus Cœli ſpatium gelidoſq́; Decembres
Sidera molitur per nova Phœbus iter.
Lucentemque ſuis accendit lampada terris;
Damnaq́; nox patitur, quæ tulit antè dies.
Vmbrarum vileſcit honos. Et lumine puro
Per cœlum niveis Cynthia fertur equis.
In virides annos redit, & Natalia Ianus,
Exoſus ſenium canitiemque ſuam.
Sic effœta novâ pubeſcunt Tempora pube,
Et poſt cana redit frigora Veris honor.
Nos ubi naſcentis metam tranſcendimus ævi,
Præcipitem in mortem vadimus & tenebras.
Nec fas in lucem primamq́; redire Iuventam,
Cum ſemel adſpectum ruga ſenilis aret.
Candida ſed toties reparat ſua cornua Phœbe,
Et ſoliti Titan permeat Orbis iter.

Sic utinam! nobis cum decreſcentibus umbris,
Non animi creſcat cura laborq́ novus.
Nec triſtes redeant alterno ſidere menſes:
Frigore ſopito nulla recurrat hyems.
Temperies nobis rerum ſit læta precamur:
Sint nitidi ſoles, Halcyonumq́ dies.
Læta triumphales maneat Victoria Belgas,
Et ſpolium nobis prædaq́ cedat Iber.
Pulſa Foro Pietas priſcos inſtauret honores,
Et redeat terris intemerata Fides.
Hoſtibus eveniant, quæ nobis dira minantur,
Et Babylon pœnas ſuppliciumq́ luat.
Tu quoque, Chare Parens, Pilyos cui comprecor annos,
In ſano felix corpore vive diu.
Vive diu, longumq́ levent Tibi Fata dolorem,
Et multam præſtet proximus Annus opem.

Ornatiſſimo Iuveni.

PETRO ENNEMA,
nuper Diſcipulo.

Amſtelodamum.

MI Petre, Quod me Literis & liberali illo munere affeceris, gratiam & honorem Tibi habeo. Agis, ornatiſſime Iuvenis, ut erectam indolem decet. Re & animo gratus es. Quæ una bonis Magiſtris laus & gloria; Diſcipulorum ſuorum frugem ac induſtriam videre. Quo uno nihil habeo præſtantius, nihil laudabilius. Illam laboris meſſem metere ſumma mihi voluptas. Hoc in te comperio, iſta ætate & exercitiis; qui aliena à Muſis dum tractas, noſtri tamen ſeriò in Batavis meminiſti. Secus apud degeneres, qui fidelem Inſtitutionem vix ultra metum ferulæ protendunt. De quibus hoc Senecæ dicetur: *perdenda ſunt multa, ut ſemel benè ponas.* Qui, quoad Scholarum ſeptis tenentur, ſimulant obſervantiam magis, quàm præſtant. Vbi manumiſſi, omnem licentiam

tiam ſibi ſumunt, officioſę nutricationis planè obliti. Nihil tale in te, qui mala & nequam illos animos totus abominaris. Fac ſic porrò, & inſiſte ſemitam illam recti, nec à bona mente unquam te patere abduci. Melioris hic animi index, & ad vitæ civilis uſum non ſiniſtrum augurium. De Studiis tuis hoc à me audi. Quoties ad illa otii quid detur, & à cæteris negotiis intervallum, cole ac recole ſtudiorum præclara initia: Ne, quod fundamenti hic feceris ad laudem & pręmia, illic ignobili otio exſtinguas. Authores, quos olim ſignavi, lege diligenter; ſtylum ad illos exerce, & ad nos interdum calami illo remigio excurre. Per omnes aquas, quæ interjacent, loqui nobiſcum potes, tanquam domi & à proximo eſſes latere. Literis hoc debemus: quæ abſentiæ difficile tædium frequentata jucundi ſermonis viciſſitudine ſolantur. Vale, mi Petre; Deo & Virtuti inſervire ſedulus perge. *Harlingæ* 12. *Cal. Ian.* 1637.

Ornatiſsimo Iuveni,

IOHANNI NEVHVSIO,
Philoſ. & Litt. Stud. Fratri Germano.

Franekeram.

O*Rnatiſsime Frater*, Quod incolumi valetudine, & cum propoſito bonæ mentis ad Academiæ palæſtram nunc veneris, valde lætor. Tertius es, qui à Parente illuc miſſus; ut adoleſcentiæ ibi tyrocinium deponas: ad Dei gloriam, & Patriæ miniſterium. Ego, per integrum quinquennium cum voluptate hic vixi. Charus, acceptus omnibus; Muſis quoque amicus. Vix crediderim, alibi locorum ad amœnitatem, & ſtudiorum compendia melius natam occaſionem. Penè, Galliam univerſam, & potiores in illa Academias inſpexi; tot Ieſuitarum Scholas, quibus furtim ſolebam me inſinuare, perrepſi. Nuſquam vidi, aut inveni

inveni Friſiorum Franekeram. Cęli, ſive Soli temperiem deſideres: nullibi illa clementior. Niſi tamen pluſculum tribuas Zonæ temperatæ, cui ſubjacet Gallia. Nos in Septentrionem magis devergimus, & acrius habemus frigus. Victus & annonæ vilitatem cupis? Hîc parvo vives optimè: quod tot jam nationes & populi norunt, uſu ſtudiorum edocti. Literarum ſi ſpectes commoditatem: hæc ſola Academia ad vitæ frugem, & omnium Artium præcepta, promum quaſi condum aperit. In quacunq; facultate Viros habes celeberrimos. Theologiam plenis fontibus Clariſs. tibi tradet Maccovius; Eloquentiæ medullam ac Pieriam illam ſcaturiginem diſertiſſimus VVinſemius; notitiam Hebrææ Linguæ Literatiſſimus Cocceius. Niſi, quod hodie è vivis emigrârit, utiliſſimus Academiæ Vir, D. Georgius Paſor, Græci ſermonis Profeſſor.

Cujus ſe pectore Graja vetuſtas
Condidit.

Quæ tamen damna breviter reparaturi Ampliſſimi DD. Ordd. Qui poſt tot Fata & Funera novum Academiæ ſcribent ſupplementum. Perge, mi Frater, induſtriæ curriculum intendere; da gnaviter bonæ menti operam. Cogita, quàm Parentis valetudo afflicta & gravis. Quàm hoc unum in vita deſideret, Tu illo ſuperſtite ad metam Studiorum perveniſſes. Perge, inquam, Virtuti & gloriæ ſerviendo, Famæ Nominiſque immortalitatem ſpectare. In hoc ſiſto, & valetudinem cum bono Genio tibi precor. Hoc addo:

Vive diu, ſed vive Deo, quia vivere Mundo
Mortis opus, vera eſt vivere vita Deo.

Harlingæ menſe Decemb. 1637.

Reverendo Viro,

D. IOANNI MARTINIO,
In illuſtri Groningâ Verb. Div.
Miniſtro.

Groningam.

R*Everende Vir*, Facit occaſio & præſens commoditas, ut in novam Vrbem ad Te veniam: Qui ſic pridem patriæ noſtræ particula fuiſti. Ni ſic uberem Deo illic meſſem colligeres, quo divinitùs, ſine omni invidia, ac partium ſtudio es vocatus, plus de tuo à nobis diſceſſu dolerem. Sed nunc in principe totius Belgii Civitate; inter illuſtrem Literatorum ordinem verſaris. Vbi orthodoxæ Religioni, unà cum amœnioribus Muſis tutiſſimum eſt perfugium. Voluit & vocavit Te nuper Franekera, vovit Harlinga, deſideravit jam longùm Leoverdia. Solùm ſua benevolentia, ac Magni Numinis beneficio nunc Te tenet, &, ſpero, ſepulchro uſque ſervabit, laudabilis Groninga. Quæ

Poſtquam Vos Amaryllis habet, Galathea reliquit.

Fata & ævum Tibi precor, apud illam gentem, nobilem & ingenuam. Ego cum Cæſario, & Amicis tuis rectè adhuc valemus. Quando per aram & ſacra licet, quæſo, amicè noſtri interdum memineris. Vale, Vir Reverende, *Harlinga ad Te, Kalend. Sept*, 1637.

Erat

Fratribus ſuis,

IOAN. ET ALEXAND. NEVHVSIIS, Politioris Literaturæ ſtudioſiſſimis.

Franekeram.

D*Ilectiſſ. Fratres,* De moleſta abſentia quam bilem, & penè indignationem, mihi moveritis, Vos juxta me cogitate. Tertius nunc labitur menſis, quod ſuſpenſi in Vos fuimus, longo & anxio deſiderio: quale in ſuos patriamque decet. Magis, per hæc Canicularia, quando muta apud Vos Muſa, & tota in feriis Academia; Nec Vos privatis Collegiis ita devincti, ut non ipſo Vacunæ hoc Sacro, Vobis aliquantulum ad quietem ſit otii. Peregrinis hanc induſtriam permitto, qui nullibi amicum, aut aſylum habent. Vos in vicina Alcmaria Fratrem: ubi perjucundè, & non ſine fructu illum Caniculæ calorem, ſub umbroſo fagi cacumine, poſſetis producere. Mox præceps æſtas pigrum reducet Autumnum, & pulchram exuet comam *Sylva Filia nobilis.* Si quis amor, per anni hanc temperiem ad nos excurrere, quamprimùm itineri, quæſo, Vos accingite, & videte, quàm beato hîc pomærio arenoſam Harlingam permutârim. Etiam illud admoneo, ſi Amſtelodamum pertranſitis, magnum Barlæum & Voſſium adite & audite. Vterq; veſtris auribus delicias dabunt, ornatè & prudenter docendo. Quæ Literatura nobis ut hereditaria eſſe debet: ad quam Divus Parens nos manu duxit, facem famamque prætulit. Nam jejuna, ſine ſucco & ſanguine omnis facultas, ſi politioris Doctrinæ ornamento, tanquam meliore ſua veſte, deſtituitur. Quare Ciceroni *Iuriſconſultus ipſe per ſe nihil eſt, niſi* Leguleius *quidam cautus & acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps ſyllabarum.* Et juris ſcientiam Eloquentiæ tanquam pediſſequam adjunxit. At Theologus, ſi probè tinctus ſit Literis, & eloquentia benè formatus,

matus, mirabiles ille effectus producit. Cum nemo judicio quoque tam abſurdus, qui non libens fateatur, quod, in perſuadendâ hominibus Dei voluntate, magnam vim & adjumentum adferat Eloquentia. Cæterùm, Valere Vos jubeo, benè vivere, & ad nos venire. *Ex Muſeo meo Batavo.* VI. *Kal. Sept.* 1639.

Præſtantiſſimo Iuveni,

D. ANTONIO HOPTILLA,
Affini dilecto.

In Caſtra.

AMiciſſime Affinis, Iterum Literas & amoris teſſeram, quod lætor, ad me miſiſti. Hunc ardorem, puto, nupera tibi epiſtola injecit: quâ ad Hiſtoriam & antiquitatum Studia te adhortabar. Videbis progreſſu temporis, quid illa Literatura ad miraculum tibi ſuppeditet. In Romana inprimis Hiſtoria, quæ ad noſtri temporis memoriam proximè accedit. Omnium rerum colorem hic invenies, ad vitam benè informandam. Sive Togam, ſive arma excutias. Vbicunque oculum defixeris, non ſine gloria dignum Virtute exemplum reperies. Romulus tanti imperii Conditor à lupino lacte nutritus; duo belli fulmina Scipiones; Marius, Orbis terrarum triumphator; & præ cæteris Pompejus ac I. Cæſar, nobis quid non incitamenti ad immortalitatis memoriam reliquerunt? Vnius gentis victorias & hoſtium profuſum ſanguinem ſi legas, mirum quantum obſtupeſces! Opes & magnitudinem imperii ſi videas, univerſi orbis divitias putabis. Craſſus negabat divitem eſſe, niſi qui reditu annuo legionem poſſet alere. Sola vectigalia exteris gentibus impoſita, centum & quinquaginta milliones annuos in ærarium conferebant. Igitur Galli, quando Romam invaſiſſent, ſenes triumphales in ædium ſuarum veſtibulis

bulis ſedentes intuiti, Deorum ſimulacra putabãt. Niſi quod in optime conſtituta Rep. ſuam quoque labem & maculas invenias. Sæpenumero, gemmis & unionibus edulia condiebant; humum croco ſpargebant, ſcalarum gradus balſamo perfundebant. Nero tam profuſus, ut regias opes dilapidans rete aureo, purpura & croco funibus nexis piſcaretur. Alii tantas populo epulas & congiaria exhibuerunt, ut in illa totos Provinciarum reditus impenderent. Natalitia & Funebres commeſſationes tanto cum luxu celebrarunt, ut omnium noſtratium opes ad illa non ſufficerent. Vna Cleopatra unum Antonio poculum ex liquefacta gemma propinavit: cujus æſtimatio HS. fuit. Caligula in unam cænam Provinciæ totius tributum impendit. Vitellius publicas in campo menſas inſtruxit, ex lactibus, linguis, cerebellis: inde uſque à Parthiâ conquiſitis. Ludos humani ſanguinis, & Buſtuaria Romanorum Theatra quis non meritò oderit ac deteſtetur? Si aut Principis natalis, ſi Sacrorum dedicatio; ſi vel magni momenti Auguſium faciendum, ſtatim Populo Romano humani ſanguinis ſpectacula edebant.

Omitte mirari beatæ
Fumum & opes ſtrepitumq́, Romæ.

Infinita illorum occurrent, ſi aciem & ingenium intenderis. Tu in Marte & armis verſaris, mi Antoni, & nihil ad tuam arenam laudabilius eſſe judico, quàm illuſtrium Virorum vitam, & res geſtas ad uſum obſervare. Populorum ſordes & vitia ſic tamen legenda, ut fugere illa poſſimus; decus & gloriam imitari. Etiam perge, mi Affinis, Literis & Literarum monumentis me ſæpius oblectare. Quod ad me, faciam, pari voluptate Te afficiam, & aliquid ad uſum tuum ex veterum Scriptorum Larariis depromam. Nunc vale, & Socerum meum benigna à nobis ſalutationẽ impertias, oro. *Ex Muſeo Harlingano 6. Kal. Novemb.* 1637.

Reve-

Reverendo Doctiſſimoque Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS, In Eccl. Neocleſianâ V.D.M. Avunculo.

Neocl. Geld.

REverende Vir, Quod unquam mihi in hac vita acerbiſſimum accidere potuit, hoc nunc prô dolor! experior ac condoleo. Vita ſua exceſſit, eheu! PARENS meus: Qui Suis, bonis omnibus, ac Muſis tanta ſemper cum laude amatus. Ita immortali Deo viſum nos affligere, & fido cuſtode deſtituere. Septimus fuit Martii dies: quo placidè longam nactus quietem, nocte intempeſta, inter preces & ſuſpiria ſuorum, Divus Parens exſpiravit. O Fatum! nimiumque, prô dolor! dolendi manes. O acerbam Literarum jacturam! In Illo quam patimur. Citius, mi Avunc. hæc noſtra vobis vulnera aperiiſſem, niſi magna doloris vis ſcribendi voluptatem ademiſſet. Etiam ratiuncula ſic me movit ac monuit; donec adderem de ſucceſſione. Num fortaſſe doloris hoc incendium aliquo Tibi fomento reſtinguere potuiſſem. Sed trahitur illa ambitio in longum, & remorari noſtras literas ulterius non audeo. Optimorum Civium favor, & inprimis Literatorum, noſtris militat partibus. Et meritò quidem; Parente ſic benè meritò de Rep. Friſiorum. Alii ſuam quoque aleam exſpectant, imò maſculè exercent: Me illo ambiendi ac ſollicitandi Marte multùm ſuperiores. Et valere plurimùm ſolet prenſatio illa ſacri Ordinis; Præſertim apud rudès Literarum: quos facilius illi flectere, & in ſuas opiniones poſſunt pertrahere. Vtinam! Virtute, Conſcientia res illa ageretur, & oculati tanto in negotio Viri primates. Ego aliuſve ad illam functionem promovendus. Soli Deo decretum. Quem totis precor animis,

ſeriò

ſeriò illi loco de tali Viro proſpiciat: qui Vita, Labore, Exemplo Iuventuti poſſit præeſſe ac prodeſſe. Secunda, poſt triſtem funerationem, ſeptimana Harlingam recurri, poſt duos treſve dies Leoverdiam repetiturus: ut ſortem illic exſpectem, & Magiſtratus noſtri ſuffragia. Quæ, utinam! ponderentur magis, quàm numerentur. Addo pauculum de valetudine. Parens p. m. paulatim ac lento pede vitæ ſuæ curriculum confecit, fractis omninò viribus, & robore elangueſcente. In extremo agone Calculi diritatem non ſentiit: etſi tamen trux ille Carnifex vitam illo moleſtiarum unus redegerit. Præteritam hyemem mediocri valetudine, docendo aſſiduè Iuventutem, decurrit. Vbi ventum ad Veris initia: quibus humano corpori magna viciſſitudo, & periculum, magis magiſque in morbum & mortem inclinavit. Quam ſolam atque unicam Divus Parens omnibus votis inclamavit, ut ſibi ſaturo rerum humanarum porticus divinæ ſtationis aperiretur: quo aſylo nihil dulcius, nihil acceptius in hoc humani corporis carcere exiſtimavit.

—— Nec æternis minorem
Conſiliis animum fatigo.

Quàm tamen malo noſtro & publico! Ille erudito ac præparato ad metam animo pervenit: Nos procelloſis Mundi tempeſtatibus objicimur, ſupremæ adhuc ſortis ignari. Plura præ dolore nequeo, mi Avunculè. Votum addo; ut noſtrum dolorem amicè ferendo levare poſſis, & porro ipſe Valere cum tuis. *Dabam Harlingæ pridie Paſchatis.* 1638.

REI-

REINERO NEVHVSIO F. S. P. EDO NEVHVSIVS, P.

Harlingam.

ANalecta tua, Fili, quæ ex optimis dicendi Magiſtris in unum collegiſti, leviter, ut permittebat mihi otium & valetudo, inſpexi. Tuam in evolvendis Authoribus ſedulitatem, in juvãda juventute ſtudium laudo. Ut teneas illum Virtutis curſum, quo ad veram graſſaris gloriam, hortor. Etiam tenuium rerum recta diligenſque tractatio laudem & gratiam meretur. Afficit me delectatque vehementer illa præſtantium Authorum dictio elegans, concinna, erudita: & tantùm non revocat ad frequentata quondam ſpatia, & arenam pridem relictam. Cuperem tamen quædam in hoc tuo opuſculo paulò magis elaborata, genera dicendi diſtinctiora, Sententias & Hiſtoriolas copioſiores & in meliorem ordinem adductas. Sed, ſcio, quam tibi his diebus parva ſit liberi temporis facultas: dum hinc à Foro; illinc à Thoro Divæ multas tibi ingerunt moleſtias. Ne Hercules quidem adverſus duos: tu tenuium laterum homo in certamen venire audes cum Deabus tam potentibus? quarum gladios & Pharetras nemo impunè unquam laceſſivit. Laxatis aliquando à tantis contentione curis, depulſoque feliciter diſcrimine, revocare potes ad incudem Analecta tua, ſi fortè illis majorem à copia & collocatione dignitatem liberet adjungere. Interea perge, mi Fili, Pubem tuam & pulverem, quantum potes, excolere atque exornare: à quo neque ſuperba ſtudiorum noſtrorum in vulgo deſpectio; neque ingrati laboris magnitudo tædiumque te avertat. Neque enim illi tantùm magnum humanis rebus emolumentum præſtant, qui in faſtigiato dignitatis apice aut jura dicunt, aut de pace belloque cenſent. Etiam ille, qui Iuventutem exhortatur, & in tanta bonorum Præceptorum inopia Virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque ruentes prenſat ac retrahit, in privato publicum nego-

Digitized by Google

negotium gerit. Seneca cap. 3. Tranq. *Et quamquam illic ad Mercurialem undantis Pelagi ſtrepitum non habeas parem Ingenio ſolertiaque tua ſtationem; tamen præcipuè grata eſt Deo illa Virtutis Sapientiaque in Seminariis ſuis nutricatio. Veniat tibi in mentem illud Chriſti Domini, dum in illo volveris pulvere; Euge Serve bone ac fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Illa Divinæ largitatis remuneratione duri laboris tædium ſolare, & diu feliciterque Vive, Vale.* Leoverd. 1636. Cal. Iunii.

D. REINERO NEVHVSIO, I. V. D. S. P. D.

MATTHIAS PASOR, Profeſſ. Philoſ. in Acad. Groning.

Harlingam.

COnſultiſſime Vir, *Dici vix poteſt, quàm grata mihi ſit Elegia, quam ſcripſiſti. In Patris ſcripſiſti gratiam & tu, quem Pater, dum viveret, habebat in deliciis. Ipſe non putabat Harlingam ſe vidiſſe, niſi te quoque vidiſſet. Idem ſanè ego etiam proximè facere & debuiſſem & voluiſſem, niſi valetudo venerandi Patris mei b. m. diurnaque lucis brevitas fuiſſet impedimento. Officium hoc parentale literis à te petere decreveram. Gratius verò, majoreſque longè merentur gratias, quod ſponte tua animo optimo ac promptiſſimo illud præſtitiſti. Excudetur, volente Deo, unà cum oratione Parentali. Vale & ſalve, mi Neuhuſi, unà cum venerando ac celeberrimo Parente tuo.* Raptim ex ædibus funeſtis Franek. 15. Dec. 1637.

Diſcipulis Suis, S. P.

L*Ectiſſimi adoleſcentes,* Annus eſt, quod ſelectas aliquot Locutionum formulas, paſſim à diſertiſſimorum Authorum ſcriptis à me obſer-

vatas,

vatas, vobis in pennam dictaverim. Quod meum inſtitutum cum à multis probaretur, & hoc veſtra inprimis ſtudia cum publico nuper præmio teſtarentur, hæc paucula, in communem Iuventutis uſum, prælo curavi deſcribi. Facilius & felicius illa leguntur & intelliguntur; quæ puro & nitido exſtant charactere, quàm quæ inter lituras & maculas deſcripta, moleſtè circumferuntur. Longius tamen opuſculum hoc procurrit, quàm animo meo unquam conſtitueram. Initio nudam Phraſiologiam meditabar, idque ex ordine Cl. PAREI, in Colligraphia Romana obſervato; ut vaſtum hoc volumen, in quo infinita vulgarium verborum copia in exiguum & utile contraherem compendium. Crevit, inquam, ſub manu labor, & præter contractam & enervatam Calligraphiam, cujus tantùm medullam hic enucleamus, multas ſanè, inter reliqua Philologię ornamenta, illuſtrium dictionum Myriadas adjunximus. Agite lectiſſimi Adoleſcentes, & eâ, quâ cæpiſtis, alacritate, illum Eloquentiæ divinum liquorem ac leporem nunc à teneris imbibite; animos præſertim veſtros Virtute, Religione imbuite. Valete Chariſſima pectora.

Dabam Harlingæ Friſ. 1636. Kal. Iunias.

I Ornatiſ-

Digitized by Google

Ornatiſsimo Iuveni,

ALEXANDRO NEVHVSIO, Litt.& LL. Stud. Fratri Germano.

Leoverdiam.

O*Rnatiſsime Frater*, Nuper cum mecum diſſereres de nominum aliquot jucundis Etymologiis, perplacuit tuum mihi judicium, in illa ætate ac imperfectione. Proferebas nonnulla, quæ antiquam ſapiebant lectionem, & veterum veſtigia. Puto, à Parente hæc habeas, domeſtico illo Larario. Fac, ſæpius illa voluptate Literaria me oblectes: quam longè antefero ſpumantibus Bacchi poculis, & otioſæ voluptati. Quod ſi itinera per hyemem fortaſſe impedita & impervia: age, Literarum vehiculo ad nos excurras. Ingeniorum commercia nemo facilè impediat. Inprimis in Belgio & Friſiis, ubi tot oppidorum ac urbium vicinitates. En tibi nunc illuſtrium aliquot vocabulorum Etymologias, quas promiſeram. Nolo grandem illarum ſarcinam, qui epiſtolam hic ſcribo, non librum. A Deo & Religione incipe. *Deus*, quod Græcè Θεὸς, à verbo *τίθημι* ſto: qui æternus, ab æterno, in æternum ſtat ac fuit. De quo plura, quæ volens prætereo. *Religio* & *religioſus*: à religandis mentibus: quod per illam ad bonum religemur. Cicero à relegendo hoc nomen deducit; & à relinquendo, quia locus, qui antea privatus fuerat, jam uſui ſacro deſtinatus, relinquitur. *Sacrilegi*: quod ſacra legant, hoc eſt, furentur, juxta Virgilianum hoc: *Ut qui ſublegi tacitus tibi carmina nuper*. *Sanctum* dicitur à ſanciendo. Sancire enim eſt confirmare, & irrogatione pœnæ ab injuria defendere. Qua ſignificatione apud ICtos, portæ, mœnia dicuntur ſancta. *Iuſtitia*; quod in eâ jus ſiſtatur, & juris ſit ſtatus. *Vindicta*: quæ erat virgula, quâ Magiſtratus vel lictor ſervi

caput

caput bis terve percutiebat, ſic dicta à Vindice, Servo Vitelliorum, qui, quod conjurationem detexiſſet de opprimendis Conſulibus, primus libertate à conſule eſt donatus. Quem manumittendi priſcum morem præterire hic nequeo: de quo ſic Claudianus in 4. Conſulatu Honorii:

——— Deductum vindice Morem
Lex celebrat, famuluſq; jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu:
Triſtis conditio pulſata fronte recedit,
In civem rubuêre genæ, tergoq; removit
Verbera, promiſſi felix injuria voti.

Nuptiæ: à nuptu, hoc eſt, opertione capitis, ut Varro vult. *Divortium*: à diverſitate mentis. Olim à condita Vrbe Roma tanta fuit conjugiorum concordia ut uſque ad 500. & 20. annum, nullum divortium inter virum & uxorem interceſſerit. Poſtea fuerunt frequentia: cujus teſtis Martialis, cum dicit:

Aut minus, aut certè plus quàm vigeſima lux eſt,
Et nubit decimo jam Theleſina Viro.

Adulterium: quod ad alterius torum ſit aditio. *Vxor*: quaſi unxor, ab ungendo, quia intrans domum Mariti, poſtes adipe ſuillo aut lupino attingebat, ne quid mali medicamenti inferretur; idque non manu, ſed lanâ. *Vir*: quod in eo major ſit Vis & Virtus. *Sponſalia*: à ſpondendo. Spondere à ſponte venit, quia ſponſalia non coacta, ſed ſpontanea. *Litus*: à Litando, quod navigantes in litore ſacrificabant. Sed rectius à λίτ☉, terra tenuis. *Vrbs*: ab urbo. Veteres locū urbi futurū aratro deſignabāt, ſacris certis adhibitis. Eſt enim urbus curvatura aratri. Cum ad illum locū, ubi portæ erant ponēdæ, perveniſſent, ſiſtebant aratrū ac manibus ſuſpendebāt, ne ſulco locus ille futurus omnibus pervius, imprimeretur. *Oppidum*: ab ope, quod ejus rei cauſa mænia ſint conſtituta. *Honor*: à Gallico Or, quod eſt aurum, & Hebræo Hon, quod ſignificat pecuniam & ſubſtantias. *Pecunia*: à pecude,

Digitized by Google

quia veterum emptio & venditio in pecudum permutatione conſiſtebat. *Hedera:* ab hærendo, vel edendo, quod inhæreat muris, vel illos exedat. *Lingua:* à lingendo. *Trivium:* quod via pedibus teratur. *Fomes:* à fovendo. *Et fomes à flammis, & quod fovet omnia dictus.* *Collis:* quod ex collibus colligamus fructus. *Callis:* à callo pedum. *Nox:* quod noceat oculis. *Toga:* à tegendo. *Fur:* à furvo, hoc eſt nigro, vel à φόρας, foris efferendo. Hinc apud Plautum, Foras gerones & Hamaxagogæ. *Salarium:* à ſale. Quemadmodum vita ſine ſale non conſiſtit, ſic nec ſine præmiis & ſalariis. *Cura:* quod cor urat. *Dolor:* quod cor edolet. *Ianua:* à Iano rerum principiis ſacrato. *Fagus:* ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, à comedendo. *Fores:* quod foris aperiantur. *Cardo:* ἀπὸ τῆς καρδίας, quod cor januæ ſit. *Valvæ:* quod evolvantur & revolvantur. *Procella:* quod animos percellat. *Almus:* ab alendo. *Lucus*, *Luſtra:* quod minime luſtrent. *Nundinæ:* à nono die dictæ, quo ruſtici vendendi & emendi cauſa in urbem commeabant. *Majeſtas:* magnitudo Populi Romani. *Vectigal:* à vectura, quod præſtatur ex rebus, quæ invehuntur vel evehuntur. *Stipendium:* à ſtipe appellatur, quod per ſtipes, hoc eſt modica æra colligatur. *Paſcua:* quod paſtui pecudum deſtinata. *Pratum:* quod paratum ſit ad fructum capiendum. *Telum:* à protelare, hoc eſt depellere, abigere. Hinc Plautus: *Protelare aliquem ſuis dictis.* *Haſta:* quaſi adſta. *Vidua:* idem quod vecors, aut ſine duitate. *Canis:* à canendo, hoc eſt latrando, vel caneſcendo, quod citò caneſcant. *Patera:* à patendo. *Siniſtrum:* à ſinendo. *Fatum* & *Fauni:* à fando. *Atrium:* ab atro colore, vel ſ fumo. Aut ab Atriis, Hetruriæ civitate, quæ domos amplis veſtibulis habebat: quæ cum Romani imitarentur, Atria appellaverunt. *Matrimonium:* ab onere Matris in Conjugio. *Clementia:* à claritate mentis. *Leno:* ab eliciendo, quod adoleſcentes alliciat. *Arx:* quod hoſtẽ arceat. *Latex:* à latendo, quod in uvis lateat. unde Virg. *Laticum libavit honorẽ*, hoc eſt,

eſt, florẽ optimi vini. *Libare*: quaſi labiare. *Adorea*: idem quod gloria; ab adoreo frumẽti genere, quo Imperatores re benè geſta à populo ſolent donari. *Nates*: quod iis nitatur moles humani corporis. *Cortex*: quaſi corium cujuſque rei: maſ. & fœm. generis. Virg. Eccl. 6. *Muſco circumdat amaræ Corticis*. *Cereviſia*: quod cerebrum viſat. *Certus*: à cernendo, quod ea, quæ cernimus, indubitata & certa ſint. Hinc Plautus. *Pluris eſt teſtis oculatus unus, quàm auriti decem*. *Buſtum*: quaſi benè uſtum. *Benignus*: a benè & gignendo, quod is benè & feliciter ſit genitus. *Auſpicium*: ab inſpiciendis avibus. *Avarus*: quaſi avidus æris. *Anus*: quod ſine mente, ex α priv. & νοῦς, mens. *Torus*: ab herbâ tortili, ex quâ veteres ſuos lectos ſoliti componere. nam antiquis torus ex ſtramento erat. *Nugæ*: à non & ago. *Induciæ*: quod ſit pax, quæ datur in dies: vel Mureto teſte, quod in dies otium præbeant. *Scena*, dicitur ἀπὸ τῆς σκιᾶς, hoc eſt, ab umbra: quia veteres ſua theatra ex frondibus arborum contexebant. *Nares*: quod per illarum foramina, odoris cuiuſque narì hoc eſt gnari fiamus. Hinc, *Emuncta naris homo*, quod nares habeat emunctas: *Pagina*: à pangendo, quod in paginis Carmina pangantur, hoc eſt, fingantur. *Forum*: à ferendo, quod venalia in hoc deferantur. In Romanâ Hiſtoria quàm multa ubique occurrunt! Pauca addam, etſi Epiſtolæ fines egrediar. Vnde dicta *Conſualia?* à Conſo conſiliorum occultorum præſide: quem conſiliis præfecerunt; quòd ſub terra ageret. Vt namque recta capiantur conſilia, ſeceſſu opus eſt: ubi verò conſulueris, occultum id eſſe debet. Ideo Deus Conſus apud Romanos ſubterraneâ arâ colebatur. Sic *Dea Sentia*; quæ ſententias inſpirabat. Iupiter *Stator*, quod Romanos fugientes in acie ſtare faceret. *Feretrius*, à ferendis ſpoliis opimis. ſivè ut Prop. ait:

Nunc ſpolia in templo tua condita, cauſa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante Ducem.

Aut quia victa ſuis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta eſt ara Superba Iovis.

Opima verò *Spolia*, Plutarcho autore ab opere, quod opus ſit præclarum, Ducem hoſtium manu trucidare. Varro verò ab ope derivat, quia ſunt opulenta. Ita antiquitatem redolet vox *Lictores*, quod ab antiquo ligo, ligui, lictum: pro quo hodie ligare. *Luſtrum*, quando pro cenſu ſumitur, teſte Varrone, à luendo, i. e. ſolvendo: quod quinto quoq; anno Vectigalia per Cenſores locata perſolvebantur. Interdum ſignificat Luſtrare, expiare; nam Luſtrum quoque erat Sacrificii genus, quo urbis luſtrandæ gratia ſus, ovis, & taurus immolabatur. *Pomœrium* quaſi poſt & Mœrium; cum antiqui murum mœrum dicerent: alii interpretantur pone murum. De *Bruto*, velut ſtupidus & agreſtis, eleganter Ovidius:

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet
Tutus ab inſidiis, dire Superbe, tuis.

Creſcit ſub manu epiſtola, mi Frater, & opinione provehor longius. Faxim de Romano ritu ac moribus plura tecum diſſeram, ubi otium, aut occaſio in illam rem. Nunc vela colligo, & in illo valere Vos jubeo:

Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora;
Sic erit hora brevis, ſic Labor ipſe levis.

Ex Muſeo Harlingano 1637. Kal. Decemb.

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. HENRICO RHALA,
I. V. D. In alma Friſ. Acad. Iuris Profeſſori.

Franckeram.

A*Mpliſſime VIR, Domine honorande*, Non patitur vetus in Te affectus & obſervantia, quin literis Te alloquar: qui olim ad illas lineas mihi dux & author. Iam tertium labitur luſtrum, quod

quod omnibus in Te officiis propenderim: quando toties Te præſide ac manuductore pulpitum Oratorium conſcendi. Manet permanetque in Te affectus, quem à puero penè imbibi, & adhuc animo puro poſſideo. Turpe flagitium, ſi non veteris diſciplinæ memor, recente beneficiorum memoria æternùm Te proſequar. Fac viciſſim, mi Domine, & locorum intervalla interdum literarum curriculo repende. Eſt magnum in amore ſolamen, quos oculorum aſpectu uſurpare non poſſis, tantò frequentius in epiſtolis illorum imaginem intueri. Cujus Ego vivum exemplar ad Te mitto, non ingenii oſtentandi, ſed veteris amicitiæ reſtaurandæ. Magna foret ingratitudo & pudor, ſi non tuis in me meritis aliquam animi noſtri portiunculam apud poſteros relinquerem. Hoc etiam atque etiam Te rogo, Clariſs. Vir, qualis in me favore ac patrocinio jugiter ſtetiſti, talis in Fratrem Alexandrum omni ſtudio induſtriaque pergas.

——— vaſtum dum naviget æquor,
Et medicis doctam Themidem veſtigat in undis.

Da manum auxiliarem, Magne Vates, in diffuſo hoc Oceano, ut glorioſæ vocis ſuæ confidens munimine Laborantium ſpem, vitam & poſteros defendat. Cætera fortunet Deus: qui Te longùm Reip. Literariæ ſoſpitem & ſuperſtitem conſervet.

Raptim ex Muſeo Alcmariæ Batt. Non. Oct. 1639.

Digitized by Google

Nobiliſsimo Conſultiſsimoque Viro,

D. IACOBO A TEYLINGEN, IC.

Illuſtris Gymnaſii Alcmarienſis Curatori, nuper Coſ.

Alcmariam.

NObiliſsime Vir, Quod tam longùm à Vobis abſim, unico meo deſiderio, doleo animitus. Vtinam eſſe res uxoriæ ſic haberent, ut velis remiſq; ad Vos & properè & proſperè feſtinare nũc poſſem. Nobis nulla eſt mora, aut cunctatio. Expedito ſumus animo patria exire, quando meliora nos vocant. *Malus ille Miles, qui Imperatorem ſuum gemens ſequitur.* Iam jam vaſa collecturi, ſi uno adhuc onere eſſemus liberi: quod ſola efficere valet Natura & potens Dei Manus. Partus exſpectatur vicinus. Quâ hora in lucem abiturus, humanis oculis haud pervium. Propediem eſſe, ſpero, de pulchra prolè gratulari mihi poſſim. Tyrannis eſſet, ante illum diem, quem Deus Fato & cunabulis deſtinavit ad iter me accingere. Cujus neque ipſi, Vos Domini, authores mihi eſſe cupiatis. Si quid peccem in nimia procraſtinatione, hoc Veſtra ſit venia ac voluntate. Quod amplius; Naturæ neceſſitate: cui vim facere, ridiculum. Quàm potero, ocyſſimè alas mihi addam, ut ad pubem & Provinciam meã feſtinus accurram. Etſi, intermedio tempore Modò tunc mea Boëthia, poſt aliquot dierum excurſum ac judicium, mediocri valetudine reconvaluerit. Ego dum officio hic vaco, & publico non fungor; neſcio, quàm difficilis producam nunc diem, laboribus omninò aſſuetus; illis ex conſuetudine in naturam converſis. Tædet Harlingæ, tædet: ubi rigent penitus & frigent politiores Literæ. Vbi nulla gratia, nulluſque favor in amæniores Muſas.

Pallada

Pallada Vos Batavi ſapitis Doctaſq; Sorores;
Hic nimium vili ſub pede Muſa jacet.

Cæterùm Valere cupidè Te volo, Vir Nobil. cum Ampliſſimo Senatu & Pube meâ. *Ex Muſeo Friſiorum 3. Kal. Aug.* 1638.

Ad Clariſsimum Virum,
D. IOANNEM CLINGBYL,
I.V.D. Secretarium, Sponſum.

Clariſsime Vir,

DUm Thalamos intras & Te Cortina ſalutat
Baſiolis, blandumq; ſuis amplectitur ulnis
IDSKIA, *bis Fati ſpolium, miſerandaque Mortis*
Effigies; bis dilecto divulſa marito,
In cladem facunda ſuam: Tibi, Clare Virorum
Plùs faveat Fortuna Thori! Precor integra vitæ
Gaudia: quæ nullum diſturbet turbine Fatum;
Aut damnet nocitura dies: Victuraq; longùm
IDSKIADES, *multa faciat Te prole Parentem.*

Publicè & pluribus feciſſem, Clariſs. Vir, ſi mutuo amori & otio Veſtro hoc tantillum placiturum intellexiſſem. Quia tamen Geniali Feſto, meus quod dolet animus, adeſſe atratus nequeo, abſens vota concipio. Et Muſa teſte, ſalutem & Fauſtitatem Tibi Tuæque acclamo. *Harlingis Friſiorum 8. Kal. Iulias.* 1638.

Filio Suo, R. Neuhuſio
EDO NEVHVSIVS, P.
De ratione Studiorum tractandorum.

Franekeram.

PEtis à me, Reinere Fili, ut methodum tibi aliquam deſcribam, quam in tractatione ſtudiorum tuorum uſurpes. Sequere igitur hanc in iſto tuo tyrocinio: quo

depoſito, aut me duce, aut alio, aliam ingredi debes, in gravioribus diſciplinis viam. Initio operam te dare volo Hebraicæ & Græcæ Linguæ; etiam benè Diſſerendi & Dicendi artibus. Hanc tibi propono palæſtram, in qua te exerceas. Diem tribue in certas partes, ut ſuas quibuſque Studiis adſignes horas: ne confusè perturbateque laborando, hoc tibi contingat, quod hominibus ſtomachi debilioris, qui ingeſtis indigeſtiſq́ ſine lege & modo ferculis, quò plus inſumunt, eò concoquunt minus. Neque quicquam penè eſt, quod ingenium & memoriam magis labefactet, & profectum impediat, quàm ſtudiorum illa tractatio præpoſtera & confuſa: ad quam cautem multorum honos & ſalus adhæſit. Diem naſcentem Hebraicis deſtina literis. Quantum diei ſupereſt ad prandium, Logicæ imperti. Pomeridianas horas Græcis impende & Eloquentiæ. In Eloquentia quem tenere ordinem debeas, ex me noſti. Lege bonos Authores, Oratores, Poëtas, Hiſtoricos diligenter. Modum tractandi Logicum, in eruenda Quæſtione, in inveniendis Argumentis, in cognoſcenda Diſpoſitione, probè obſerva. Dicendi puritatem & elegantiam nota. Singula, quoad Logicam, quoad Dictionem Locis tuis Communibus inſere. Tum ſæpe aliquid imitare, ſæpe tuo Marte ſinge opus novum, campo ingreſſus aperto. In Logica Diſſerendi arte, iſtis te volo inſiſtere veſtigiis, quæ olim ſignavi. Idque tum in arte ipſa, tum artis uſu. Ars Diſſerendi ex Naturalis Rationis facultate, in Inveniendo & Diſponendo, ad Iudicandum conſiſtit. Hanc methodum tene. Quicquid alibi legis audiſve, quicquid diverſorum terminorum, Præceptionum, Senſuum Ariſtotelici habent authores, huc tanquam ad communes refer locos. Et cave ab hac viâ deflectas. Ita & in Ratiocinando Naturæ lumen, optimam ad intelligendum Ducem ſequeris, & ſimul aliorum mētem loquendiq́ modum diſces. Et quamquam ſteriles ſint parvique uſus pleræque Dialecticorum diſputationes, volo te tamen in illis maximè exerceri, ut ingenium acuas, & ad Metaphyſicæ cognitionem viam tibi pares. Atque ita in Artis præceptis & Diſſerendi Syſtemate verſaberis. Fruſtra verò iſta ſciveris, niſi ea tanquam inſtrumenta in tractandis diſcendiſque diſciplinis

aliis

Digitized by Google

aliis uſurpaveris. Uſus Logicæ in Analyſi conſiſtit & Geneſi. Illa Quæſtionem à præſtantibus tractatam Authoribus in ſua principia reſolvit: hoc eſt Quæſtionem indagat, Inventionis argumenta eruit, Propoſitionum veritatem, Syllogiſmorum conſequentiam, Methodi ordinem, quando uſus eſt; ex Diſpoſitione judicat. Geneſis eſt; quando tuopte ingenio, ſecundum præſcriptum Inventionis & Diſpoſitionis, Quæſtionem aliquam aut liberè tractas, aut alieno ingreſſus veſtigio authorem imitaris. Trecenta iſtarum rerum à me habes exempla. Ut verò in re Oratoria, quam præcipuè tibi commendo, Uſum Logicæ Geneſeos, in Inveniendo & collocando habeas, dabo operam, ut methodum aliquam brevem, primo quidem die, concinnem. Hanc meam præceptionem, Fili, ſi ſumma induſtria, quod quidem tibi confido, ſequutus fueris, non dubito, quin Divina gratia pulchram aliquam eruditionem ſis conſequuturus. Vale. 11. Feb. 1627.

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P. Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

D*Ilectiſſ. Parens*, Opuſculum Oratorium heri accepimus; unà cum Literis ad Cl. Profeſſores: qui omnes grato animo beneficium agnoſcunt, & amplectuntur. Longùm eſt, quod hujuſmodi, à tua manu ſpe magna exſpectarunt: quę difficulter tamen in lucem, & ad incudem venerunt. Nunquam viſura publicum, niſi in Hollandia apud typographos Editionem illorum ipſe urſiſſem: ad quod Clariſſimus D. Ameſius, & D. Amama viam mihi muniverunt, ſua authoritate & teſtimoniis. De reliquis, quæ domi adhuc latent in ſcriniis ac tenebris, hoc obnixè Parentem monent, ne publicum illis aërem invideat, & porrò juventutem juvare, quoquo modo poſſit, ſedulò proſpiciat. Quæ ego mitto, & prudentiæ tuæ commit-

mitto. Nonum, inquis, premantur in annum.

Victurus Genium debet habere liber.

De Poëmate, mi Parens, valde mihi gratum feciſti. Vino non vendibili ſuſpenſa eſt opus hedera. Nunc pari munuſculo beneficium tuum rependo, quanquam non noſtro. Cujus Genium, & extemporaneos natales meritò poſſis admirari. Fuit apud nos juvenis ex Gallia; Muſicus, Mendicus: qui, ut honeſtius à nobis peteret viaticum, obtulit quædam anagrammata, bono metallo. Nobis vix fides de artificio. Putabamus ſinguli præmeditata, & cum multa cura elaborata. Negat ille, & nomina petit, ad quæ, præſentibus nobis, ſine morâ alluderet ἐκ τοῦ παρὰ χρῆμα. Factum in ſingula: vicit admirationem Virtus. Cujus in guſtum, mi Parens, hæc duo tantum præmitto, tuo & meo nomini inſcripta.

EDO NEVHVSIVS,

Anagr.

Vis vehens duo. Dilucidatio.

Phœbiferi currus, rota fervida ſplendicat orbi,
Diſpellens tenebras per ſpatia alta Poli.
Plus tamen EDO *facit, vectat qui bina per Orbem*
Plauſtra agitatq́; duas mente animoq́; faces.
Scilicet inſignes radios Virtutis, aperto
Lumine, & eximia dat probitatis opus.
NEVHVSI, *anne vides, qua te palma axe manebit?*
Clarior es Phœbo; nam Duo *plauſtra vehis.*

REI-

REINERVS NEVHVSIVS
Anagr.

En Rus, Iuvenis Herus. Dilucidatio.

Olle ſub Elyſio locus eſt viridantibus herbis
Conſitus, hic grato plenus odore nitet.
Forſitan id Iuvenis *facit* Heros, *cultor & author*
Splendoris nivei: credere Rus *ne velim;*
Credam equidem, en *niveus campus; ceu frondiferum* Rus,
REINERVS *pulchro purus Honore micat.*
Ille jubar factuſq; Decus Tibi, ſacra Palaſtra
Franica; Vires Caſtalidûm ore vehit.
Credas, NEVHVSI*; foliis Virtutis adornas*
Illuſtres ſocios colle ſub Elyſio.
Collis & eſt placidus Muſarum Franekerarum:
Hic Herus, *Aonia cultor & artis honos.*
Ergò & Honos, Herus, *&* Iuvenis, *dicereq; cultor*
Aonidum, Muſis gloria magna novem.

Obſtupui, fateor, in momentaneo hoc opere. Et Vos, ſcio, qui legitis. *Sedibus athereis ſpiritus ille venit.* Vale, mi Parens, & diu ſuperſtes eſto, cum binis iſtis plauſtris, Virtutis & Doctrinæ. *Ex Muſeo Franekerano* 1628. *Eid. Iun.*

Præſtantiſſimo Iuveni,

D. ANTONIO HOPTILLA,
Affini dilecto, Sub Auriaco Militanti.

Emmericum.

Hariſſime Affinis, Vix patria pedem extuliſti, & morbus te habet? Hoc doleo animitùs, quod in primo limine obhęreſcas, cum nullum adhuc hoſtem, aut hominem inimicum videris,

ris, audiveris. Pruriebat tibi, immane quantum! animus; eſſe in illis locis, ubi pro aris & focis belli fortunam tentares. Et tàm ſubitò ah! miſer, defectis viribus, arenam relinquis? Quàm doleo! ſic brevi ignem illum deſiiſſe, qui tam clarum hoſti incendium minabatur. Qualis ſi ſingulis eſſet animus, hoc ſi corporis robur & æs triplex, quàm inſuperabili Principi noſtro ſatellitium! Eſto: *Non ſi malè nunc, & ſemper ſic erit.* Aliquæ fortaſſis feces redundant, quæ deſpumari prius volunt, quàm cum priore robore in gratiam redeas. Obfirma Te adversùm, mi Antoni, nec dejice animum. Mox caſtra formabis & aciem diſpones, recollige vires. Tuis indiget Princeps lacertis, tuos toros & nervos deſiderat, fac novum tibi robur. Nunc primùm de vita, cominùs, eminùs cum hoſte congrederis, age fortem enſem aptes humeris. Sanè, poſt hominum memoriam, atrociſſimum hac æſtate bellum habituri. Sed ſpe bonâ. Si volet Mars Propitius, ultra Glacialem Oceanum propellemus Hiſpanum: ni fallat, aut frigeat Gallorum animoſus ille furor, & nos aliquid laude dignum moliamur in Belgio. Deus de cœlo fortunet votum, & Vos illic, noſtra deſideria, inter bellorum flammas ſoſpitet ac tueatur. Optem ego totis animis, res cedant ſic proſperè, in unam vobis dieculam eſſem à latere & claſſico. Volupe mihi foret, qui tot in annos Togatam exercui militiam, unâ quoque acie, ſed oculorum, armatam quoque Palladem uſurpaſſem. Hæc paucis, mi Antoni ad Te, pro amore mutuo. Parentibus vitam & bonam valetudinem, Principi victoriam precor. *Dabam Harlingis noſtris prid. Kal. Iun. 1638.*

Reve-

Reverendo Doctiſsimoque Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS,
Avunculo, & Eccleſiaſtæ Neocleſiano.

Neocleſiam.

CHariſs. D. Avuncule, Nos, Deo ſit gratia, benè valemus. Vos illic lætos & incolumes eſſe, unicè vovemus. Plus integro eſt mẽſe, quod cladem noſtræ familiæ juxta lacrymas vobis ſignificârim. Quæ cum vulnera Vobis refrico, non dubium animi veſtri dolorem inde recrudeſcere, & me novâ Vos iterùm plagâ percutere. Ita eſt, mi Avuncule, affini nos vinculo natura conjunxit, & pro quovis fortunæ vultu, noſtri quoque affectus ſe variant & mutant. Quàm novi! ex intimo Vobis corde ducta ſuſpiria. Fuit, eheu! Parens meus, fuit in hiſce terris, & nos dulci ſua deſtituit præſentia. Nec una ſupereſt jam amplius diecula, quam humano cum illo affatui dare, aut partiri licet. Quod quàm anxiè, Vos ô Amiculi, proxima æſtate deſideraveritis, ſatis bona mecum memoria adhuc teneo. Sed Fatis ita decretum; ac bellorum inopina tempeſtas hoc tam blandi amoris diverticulum nobis intercluſit. Etſi tamen Martis illa alea non infeliciter nobis ceciderit; eventu bono ac votivo. Abſit, mi Avuncule, divinam manum oppugnemus; qui Homines, & terrarum modò hoſpites hic ſumus. Quod viſùm ſummo illi Deo, quid nos, fungi terreſtres, æterni illius conſilii ſecretum oculo nimis acuto ſcrutemur? Nec voluit Divus Parens, cum hic vitam adhuc ageret, nos de vita illi amplius gratulari. Cui jam tam longùm ærumnoſæ vitæ tædium ac nauſea fuerat. Qui nihil in hac morbida & mortali carne magis unquã ſeriò & cum deſiderio exoptavit: quàm oneroſam hujus vitæ uſuram placida ſemel morte exſtinxiſſe. Et quid tam infeliciter mundanum eſſe, quàm tanta

tanta malorum mole aſſiduè premi? ubi nunquam à dolore intervallum, καὶ δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ ἀεί. Hoc ſolidum nobis gaudium & ſolatium, inter tot ſingultus & lacrymas, Divum Parentem non minus feliciter, quàm libenter, cum tantæ Virtutis & famæ commendatione, mortalitatis legem compleviſſe. Quæ quàm nobis & Muſis acerba, Reip. univerſæ damnoſa; tam divo Parenti grata acceptaque ſunt. In hoc libens acquieſco, nihil divinæ voluntati obmurmurans. Quod mirum, in Civitate Leoverdienſi, & tu, mi Avuncule, quod audias attonitus: nedum hic locus Rectorem ſuum habet. Ita rem agunt ac urgent Amici, & partium utrinque ſtudia. Faxit Deus nomini ſuo tam glorioſum, quàm ingenuæ Iuventuti eventum fructuoſum. De quibus aliàs plura: nunc vale cum Familia: quam ex animo ſalutamus.
Harlingæ 4. Kal. Maji. 1638.

Conſultiſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. IOANNI PICCARTO,
Doctori Med. & Cognato.

Egmondam.

CLariſſime Domine Cognate, Quod lætari ex animo potes, uterque ſoſpites domum revenimus. Vxor, Amici, omnia bellè ſe habent. Vſi ſumus maris compendio, Stauriam verſus. Neque credebam nos pelago, etſi vernum tempus, & nullus jam ſæviat Orion. Amo continentem, præ viridi illo Neptuno:

Inter vitæ mortiſque vias
Nimium gracili limite ducto.

De Honore Alcmarienſi, Deo & illic Muſarum amicis æternùm gratias habebo: Quod planè inexſpectato me felicitent beneficio, quando humana nos fallant, & decipiat mendax Patronus. Eſt divina potentia, quæ rebus iſtis interluſit: quàm

quam in illa potiſſimùm re ad oculum & manus ſic video. Abſit, per ſomnium hæc talia cogitârim, extra patriam: quæ nunc incogitanti bonam mihi vitam faciunt. Ita eſt, Deo te da, nunquam erubeſces.

——— Authoribus iſtis
Inveniet bona cauſa viam, certaq; ſalutis
Portus adeſt.

Quod ad me, nihil ambitiosè apud Leoverdienſes unquam prenſavi. Vrſit ac provocavit Conſcientia, illam petere Provinciam: in quâ triginta plus annis Parens meus ad laudem vixerat. Nunc meliora me vocant, quæ non permittem aura illa Friſiorum. Addo lætas Literas de vita & vocatione Fratris Gualtheri. Nos iviſſe bonum Virum ad mortuos putabamus;

Cum Iove, & Iliaca porrectum ſumere dextrâ
Immortale merum.

Nunc, quod omni dolore nos privat, novis ſe honoribus parat; vitâ, valetudine integrâ. Hic ſiſto, & Nobiliſs. D. Teylingium, & Snellium, cum noſtrâ Brederodiâ, jucundùm vivere ac valere jubeo. *Dabam Harlingis* 3. *Kal. Iun.* 1638.

Reverendo Doctiſsimoque Viro,

D. ADRIANO SNELLIO,

Doct. Med. Clariſs. Eccleſiaſtæ Alcmarienſi & Scholarchæ.

Alcmariam.

D*octiſſ. Reverende Vir*, De Valetudine tua, ſpero, quod ex animi ſententia ſe habeat. Nos, Laus Deo, mediocri adhuc ſanitate vivimus ac valemus. Hoc nimio mihi moleſtum, quod à Muſarum incude nunc abſim, & in publica provincia nihil agam. Difficile eſt homini ſtudioſo feriis & otio aſſueſcere. Quanquam tamen cum Illo,

Nobiliſsimo Conſultiſsimoque Viro,

D. IACOBO A TEYLINGEN, IC.
Illuſtris Gymnaſii Alcmarienſis Curatori, nuper Coſ.

Alcmariam.

N*Obiliſsime Vir*, Quod tam longùm à Vobis abſim, unico meo deſiderio, doleo animitus. Vtinam iſe res uxoriæ ſic haberent, ut velis remiſq; ad Vos & properè & proſperè feſtinare nũc poſſem. Nobis nulla eſt mora, aut cunctatio. Expedito ſumus animo patria exire, quando meliora nos vocant. *Malus ille Miles, qui Imperatorem ſuum gemens ſequitur.* Iam jam vaſa collecturi, ſi uno adhuc onere eſſemus liberi: quod ſola efficere valet Natura & potens Dei Manus. Partus exſpectatur vicinus. Quâ hora in lucem abiturus, humanis oculis haud pervium. Propediem eſſe, ſpero, de pulchra prolè gratulari mihi poſſim. Tyrannis eſſet, ante illum diem, quem Deus Fato & cunabulis deſtinavit ad iter me accingere. Cujus neque ipſi, Vos Domini, authores mihi eſſe cupiatis. Si quid peccem in nimia procraſtinatione, hoc Veſtra ſit venia ac voluntate. Quod amplius; Naturæ neceſſitate: cui vim facere, ridiculum. Quàm potero, ocyſſimè alas mihi addam, ut ad pubem & Provinciam meã feſtinus accurram. Etſi, intermedio tempore Modò tunc mea Boëthia, poſt aliquot dierum excurſum ac judicium, mediocri valetudine reconvaluerit. Ego dum officio hic vaco, & publico non fungor; neſcio, quàm difficilis producam nunc diem, laboribus omninò aſſuetus; illis ex conſuetudine in naturam converſis. Tædet Harlingæ, tædet: ubi rigent penitus & frigent politiores Literæ. Vbi nulla gratia, nulluſque favor in amæniores Muſas.

Pallada

Pallada Vos Batavi ſapitis Doctaſq́ Sorores;
Hic nimium vili ſub pede Muſa jacet.

Cæterùm Valere cupidè Te volo, Vir Nobil. cum Ampliſſimo Senatu & Pube meâ. *Ex Muſeo Friſiorum* 3. *Kal. Aug.* 1638.

Ad Clariſſimum Virum,

D. IOANNEM CLINGBYL, I.V.D. Secretarium, Sponſum.

Clariſſime Vir,

D*Um Thalamos intras & Te Cortina ſalutat*
Baſiolis, blandumq́ ſuis amplectitur ulnis
IDSKIA, *bis* Fati *ſpolium, miſerandaque Mortis*
Effigies; bis dilecto divulſa marito,
In cladem facunda ſuam: Tibi, Clare Virorum
Plùs faveat Fortuna Thori! *Precor integra vitæ*
Gaudia: quæ nullum diſturbet turbine Fatum;
Aut damnet nocitura dies: Victuraq́ longùm
IDSKIADES, *multa faciat Te prole Parentem.*

Publicè & pluribus feciſſem, Clariſs. Vir, ſi mutuo amori & otio Veſtro hoc tantillum placiturum intellexiſſem. Quia tamen Geniali Feſto, meus quod dolet animus, adeſſe atratus nequeo, abſens vota concipio. Et Muſa teſte, ſalutem & Fauſtitatem Tibi Tuæque acclamo. *Harlingæ Friſiorum* 8. *Kal. Iulias.* 1638.

Filio Suo, R. Neuhuſio

EDO NEVHVSIVS, P. De ratione Studiorum tractandorum.

Franekeram.

P*Etis à me, Reinere Fili, ut methodum tibi aliquam deſcribam, quam in tractatione ſtudiorum tuorum uſurpes, Sequere igitur hanc in iſto tuo tyrocinio: quo*

Digitized by Google

depoſito, aut me duce, aut alio, aliam ingredi debes, in gravioribus diſciplinis viam. Initio operam te dare volo Hebraicæ & Græcæ Linguæ; etiam benè Diſſerendi & Dicendi artibus. Hanc tibi propono palæſtram, in qua te exerceas. Diem tribue in certas partes, ut ſuas quibuſque Studiis adſignes horas: ne confusè perturbateque laborando, hoc tibi contingat, quod hominibus ſtomachi debilioris, qui ingeſtis indigeſtiſq; ſine lege & modo ferculis, quò plus inſumunt, eò concoquunt minus. Neque quicquam penè eſt, quod ingenium & memoriam magis labefactet, & profectum impediat, quàm ſtudiorum illa tractatio præpoſtera & confuſa: ad quam cautem multorum honos & ſalus adhæſit. Diem naſcentem Hebraicis deſtina literis. Quantum diei supereſt ad prandium, Logicæ imperti. Pomeridianas horas Græcis impende & Eloquentiæ. In Eloquentia quem tenere ordinem debeas, ex me noſti. Lege bonos Authores, Oratores, Poëtas, Hiſtoricos diligenter. Modum tractandi Logicum, in eruenda Quæſtione, in inveniendis Argumentis, in cognoſcenda Diſpoſitione, probè obſerva. Dicendi puritatem & elegantiam nota. Singula, quoad Logicam, quoad Dictionem Locis tuis Communibus inſere. Tum ſæpe aliquid imitare, ſæpe tuo Marte ſinge opus novum, campo ingreſſus aperto. In Logica Diſſerendi arte, iſtis te volo inſiſtere veſtigiis, quæ olim ſignavi. Idque tum in arte ipſa, tum artis uſu. Ars Diſſerendi ex Naturalis Rationis facultate, in Inveniendo & Diſponendo, ad Iudicandum conſiſtit. Hanc methodum tene. Quicquid alibi legis audiſve, quicquid diverſorum terminorum, Præceptionum, Senſuum Ariſtotelici habent authores, huc tanquam ad communes refer locos. Et cave ab hac viâ deflectas. Ita & in Ratiocinando Naturæ lumen, optimam ad intelligendum Ducem ſequeris, & ſimul aliorum mẽtem loquendiq; modum diſces. Et quamquam ſteriles ſint parvique uſus pleræque Dialecticorum diſputationes, volo te tamen in illis maximè exerceri, ut ingenium acuas, & ad Metaphyſicæ cognitionem viam tibi pares. Atque ita in Artis præceptis & Diſſerendi Syſtemate verſaberis. Fruſtra verò iſta ſciveris, niſi ea tanquam inſtrumenta in tractandis diſcendiſque diſciplinis

aliis

aliis uſurpaveris. Uſus Logicæ *in Analyſi conſiſtit & Geneſi. Illa Quæſtionem à præſtantibus tractatam* Authori*bus in ſua principia reſolvit: hoc eſt Quæſtionem indagat, Inventionis argumenta eruit, Propoſitionum veritatem, Syllogiſmorum conſequentiam, Methodi ordinem, quando uſus eſt, ex Diſpoſitione judicat. Geneſis eſt; quando tuopte ingenio, ſecundum præſcriptum Inventionis & Diſpoſitionis, Quæſtionem aliquam aut liberè tractas, aut alieno ingreſſus veſtigio authorem imitaris. Trecenta iſtarum rerum à me habes exempla. Ut verò in re Oratoria, quam præcipuè tibi commendo, Uſum* Logicæ *Geneſeos, in Inveniendo & collocando habeas, dabo operam, ut methodum aliquam brevem, primo quidem die, concinnem.* H*anc meam præceptionem, Fili, ſi ſumma induſtria, quod quidem tibi confido, ſequutus fueris, non dubito, quin Divina gratia pulchram aliquam eruditionem ſis conſequuturus.* Vale. 11. Feb. 1627.

Clariſsimo Doctiſsimoque Viro,

D. EDONI NEVHVSIO, P. Gymnaſiarchæ Leoverdienſi.

Leoverdiam.

D*Ilectiſs. Parens*, Opuſculum Oratorium heri accepimus; unà cum Literis ad Cl. Profeſſores: qui omnes grato animo beneficium agnoſcunt, & amplectuntur. Longùm eſt, quod hujuſmodi, à tua manu ſpe magna exſpectarunt: quę difficulter tamen in lucem, & ad incudem venerunt. Nunquam viſura publicum, niſi in Hollandia apud typographos Editionem illorum ipſe urſiſſem: ad quod Clariſſimus D. Ameſius, & D. Amama viam mihi muniverunt, ſua authoritate & teſtimoniis. De reliquis, quæ domi adhuc latent in ſcriniis ac tenebris, hoc obnixè Parentem monent, ne publicum illis aërem invideat, & porrò juventutem juvare, quoquo modo poſſit, ſedulò proſpiciat. Quæ ego mitto, & prudentiæ tuæ com-

mitto. Nonum, inquis, premantur in annum.

Victurus Genium debet habere liber.

De Poëmate, mi Parens, valde mihi gratum feciſti. Vino non vendibili ſuſpenſa eſt opus hedera. Nunc pari munuſculo beneficium tuum rependo, quanquam non noſtro. Cujus Genium, & extemporaneos natales meritò poſſis admirari. Fuit apud nos juvenis ex Gallia; Muſicus, Mendicus: qui, ut honeſtius à nobis peteret viaticum, obtulit quædam anagrammata, bono metallo. Nobis vix fides de artificio. Putabamus ſinguli præmeditata, & cum multa cura elaborata. Negat ille, & nomina petit, ad quæ, præſentibus nobis, ſine morâ alluderet ἐκ τῦ παρὰ χρῆμα. Factum in ſingula: vicit admirationem Virtus. Cujus in guſtum, mi Parens, hæc duo tantum præmitto, tuo & meo nomini inſcripta.

EDO NEVHVSIVS,

Anagr.

Vis vehens duo. Dilucidatio.

PHœbiferi currus, rota fervida ſplendicat orbi,
Diſpellens tenebras per ſpatia alta Poli.
Plus tamen EDO *facit, vectat qui bina per Orbem*
Plauſtra agitatq; duas mente animoq; faces.
Scilicet inſignes radios Virtutis, aperto
Lumine, & eximia dat probitatis opus.
NEVHVSI, *anne vides, qua te palma axe manebit?*
Clarior es Phœbo; nam Duo plauſtra vehis.

REI-

REINERVS NEVHVSIVS
Anagr.

En Rus, Iuvenis Herus. Dilucidatio.

COlle ſub Elyſio locus eſt viridantibus herbis
Conſitus, hic grato plenus odore nitet.
Forſitan id Iuvenis *facit* Heros, *cultor & author*
Splendoris nivei: credere Rus *ne velim;*
Credam equidem, en *niveus campus; ceu frondiferum* Rus,
REINERVS *pulchro purus Honore micat.*
Ille jubar factusq́ Decus Tibi, ſacra Palæſtra
Franica; Vires Caſtalidûm ore vehit.
Credas, NEVHVSI; *foliis Virtutis adornas*
Illuſtres ſocios colle ſub Elyſio.
Collis & eſt placidus Muſarum Franekerarum:
Hic Herus, *Aoniæ cultor & artis honos.*
Ergò & Honos, Herus, *&* Iuvenis, *dicereq́ cultor*
Aonidum, Muſis gloria magna novem.

Obſtupui, fateor, in momentaneo hoc opere. Et Vos, ſcio, qui legitis. *Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.* Vale, mi Parens, & diu ſuperſtes eſto, cum binis iſtis plauſtris, Virtutis & Doctrinæ. *Ex Muſeo Franekerano* 1628. *Eid. Iun.*

Præſtantiſsimo Iuveni,

D. ANTONIO HOPTILLA,
Affini dilecto, Sub Auriaco Militanti.

Emmericum.

C*Hariſsime Affinis,* Vix patria pedem extuliſti, & morbus te habet? Hoc doleo animitùs, quod in primo limine obhęreſcas, cum nullum adhuc hoſtem, aut hominem inimicum videris,

ris, audiveris. Pruriebat tibi, immane quantum! animus; eſſe in illis locis, ubi pro aris & focis belli fortunam tentares. Et tàm ſubitò ah! miſer, defectis viribus, arenam relinquis? Quàm doleo! ſic brevi ignem illum deſiiſſe, qui tam clarum hoſti incendium minabatur. Qualis ſi ſingulis eſſet animus, hoc ſi corporis robur & æs triplex, quàm inſuperabili Principi noſtro ſatellitium! Eſto: *Non ſi malè nunc, & ſemper ſic erit.* Aliquæ fortaſſis feces redundant, quæ deſpumari prius volunt, quàm cum priore robore in gratiam redeas. Obfirma Te adversùm, mi Antoni, nec dejice animum. Mox caſtra formabis & aciem diſpones, recollige vires. Tuis indiget Princeps lacertis, tuos toros & nervos deſiderat, fac novum tibi robur. Nunc primùm de vita, cominùs, eminùs cum hoſte congredieris, age fortem enſem aptes humeris. Sanè, poſt hominum memoriam, atrociſſimum hac æſtate bellum habituri. Sed ſpe bonâ. Si volet Mars Propitius, ultra Glacialem Oceanum propellemus Hiſpanum: ni fallat, aut frigeat Gallorum animoſus ille furor, & nos aliquid laude dignum moliamur in Belgio. Deus de cœlo fortunet votum, & Vos illic, noſtra deſideria, inter bellorum flammas ſoſpitet ac tueatur. Optem ego totis animis, res cedant ſic proſperè, in unam vobis dieculam eſſem à latere & claſſico. Volupe mihi foret, qui tot in annos Togatam exercui militiam, unâ quoque acie, ſed oculorum, armatam quoque Palladem uſurpaſſem. Hæc paucis, mi Antoni ad Te, pro amore mutuo. Parentibus vitam & bonam valetudinem, Principi victoriam precor. *Dabam Harlingis noſtris prid. Kal. Iun.* 1638.

Reve-

Reverendo Doctiſsimoque Viro,

D. ALBERTO NYENHVIS, Avunculo, & Eccleſiaſtæ Neocleſiano.

Neocleſiam.

CHariſſ. D. *Avuncule,* Nos, Deo ſit gratia, benè valemus. Vos illic lætos & incolumes eſſe, unicè vovemus. Plus integro eſt mẽſe, quod cladem noſtræ familiæ juxta lacrymas vobis ſignificârim. Quæ cum vulnera Vobis refrico, non dubium animi veſtri dolorem inde recrudeſcere, & me novâ Vos iterùm plagâ percutere. Ita eſt, mi Avuncule, affini nos vinculo natura conjunxit, & pro quovis fortunæ vultu, noſtri quoque affectus ſe variant & mutant. Quàm novi! ex intimo Vobis corde ducta ſuſpiria. Fuit, eheu! Parens meus, fuit in hiſce terris, & nos dulci ſua deſtituit præſentia. Nec una ſupereſt jam amplius diecula, quam humano cum illo affatui dare, aut partiri licet. Quod quàm anxiè, Vos ô Amiculi, proxima æſtate deſideraveritis, ſatis bona mecum memoria adhuc teneo. Sed Fatis ita decretum; ac bellorum inopina tempeſtas hoc tam blandi amoris diverticulum nobis interclusit. Etſi tamen Martis illa alea non infeliciter nobis ceciderit; eventu bono ac votivo. Abſit, mi Avuncule, divinam manum oppugnemus; qui Homines, & terrarum modò hoſpites hic ſumus. Quod viſum ſummo illi Deo, quid nos, fungi terreſtres, æterni illius conſilii ſecretum oculo nimis acuto ſcrutemur? Nec voluit Divus Parens, cum hic vitam adhuc ageret, nos de vita illi amplius gratulari. Cui jam tam longùm ærumnoſæ vitæ tædium ac nauſea fuerat. Qui nihil in hac morbida & mortali carne magis unquã ſeriò & cum deſiderio exoptavit: quàm oneroſam hujus vitæ uſuram placida ſemel morte exſtinxiſſe. Et quid tam infeliciter mundanum eſſe, quàm tanta

tanta malorum mole aſſiduè premi? ubi nunquam à dolore intervallum, καὶ δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ ἀεί. Hoc ſolidum nobis gaudium & ſolatium, inter tot ſingultus & lacrymas, Divum Parentem non minus feliciter, quàm libenter, cum tantæ Virtutis & famæ commendatione, mortalitatis legem compleviſſe. Quæ quàm nobis & Muſis acerba, Reip. univerſæ damnoſa; tam divo Parenti grata acceptaque ſunt. In hoc libens acquieſco, nihil divinæ voluntati obmurmurans. Quod mirum, in Civitate Leoverdienſi, & tu, mi Avuncule, quod audias attonitus: nedum hic locus Rectorem ſuum habet. Ita rem agunt ac urgent Amici, & partium utrinque ſtudia. Faxit Deus nomini ſuo tam glorioſum, quàm ingenuæ Iuventuti eventum fructuoſum. De quibus aliàs plura: nunc vale cum Familia: quam ex animo ſalutamus. *Harlingæ 4. Kal. Maji. 1638.*

Conſultiſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. IOANNI PICCARTO, Doctori Med. & Cognato.

Egmondam.

C*lariſſime Domine Cognate*, Quod lætari ex animo potes, uterque ſoſpites domum revenimus. Vxor, Amici, omnia bellè ſe habent. Vſi ſumus maris compendio, Stauriam verſus. Neque credebam nos pelago, etſi vernum tempus, & nullus jam ſæviat Orion. Amo continentem, præ viridi illo Neptuno:

Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.

De Honore Alcmarienſi, Deo & illic Muſarum amicis æternùm gratias habebo: Quod planè inexſpectato me felicitent beneficio, quando humana nos fallant, & decipiat mendax Patronus. Eſt divina potentia, quæ rebus iſtis interluſit: quàm

quam in illa potiſſimùm re ad oculum & manus ſic video. Abſit, per ſomnium hæc talia cogitârim, extra patriam: quæ nunc incogitanti bonam mihi vitam faciunt. Ita eſt, Deo te da, nunquam erubeſces.

——— Authoribus iſtis
Inveniet bona cauſa viam, certaq́ ſalutis
Portus adeſt.

Quod ad me, nihil ambitioſè apud Leoverdienſes unquam prenſavi. Vrſit ac provocavit Conſcientia, illam petere Provinciam: in quâ triginta plus annis Parens meus ad laudem vixerat. Nunc meliora me vocant, quæ non permutem aura illa Friſiorum. Addo lætas Literas de vita & vocatione Fratris Gualtheri. Nos iviſſe bonum Virum ad mortuos putabamus;

Cum Iove, & Iliaca porrectum ſumere dextrâ
Immortale merum.

Nunc, quod omni dolore nos privat, novis ſe honoribus parat; vitâ, valetudine integrâ. Hic ſiſto, & Nobiliſs. D. Teylingium, & Snellium, cum noſtrâ Brederodiâ, jucundùm vivere ac valere jubeo. *Dabam Harlingis* 3. *Kal. Iun.* 1638.

Reverendo Doctiſsimoque Viro,

D. ADRIANO SNELLIO,

Doct. Med. Clariſs. Eccleſiaſtæ Alcmarienſi & Scholarchæ.

Alcmariam.

D*octiſſ. Reverende Vir*, De Valetudine tua, ſpero, quod ex animi ſententia ſe habeat. Nos, Laus Deo, mediocri adhuc ſanitate vivimus ac valemus. Hoc nimio mihi moleſtum, quod à Muſarum incude nunc abſim, & in publica provincia nihil agam. Difficile eſt homini ſtudioſo feriis & otio aſſueſcere. Quanquam tamen cum Illo,

Illo, *nunquam minus ſim ſolus, quàm cum maximè ſolus*. Ante aliquot dies hic à Magiſtratu mihi gratiæ ſunt habitæ, de Officio probè curato. Et jam omnis adhibetur induſtria, de ſubſtituendo mihi Succeſſore. In quâ re penitus aqua illis hæret. Quę Virorum bona meſſis ſic ſterilis & infæcunda, ut mirum ac perdolendum. Nonnulli Doctrina ſatis excellentes: quibus ad vitam & Virtutem deeſt exemplum. Aliqui ſic rerum rudes & ignari; ut niſi morum rudimento in ſuffragium & commendationem veniant. Hos ætas minus provecta; illos docendi ac profitendi inhabitudo à tali provincia removet. Sic multa moleſtia noſtris obtruditur ex meo diſceſſu: quem certè odio & invidia proſequuntur. Nec poſſum, quin parvum illius ſpecimen ad Vos tranſcribam. Ego, à quo tempore Veſtræ me Curiæ per fidem addixeram, & Noſtris coram publico etiam Senatu, me abdicaveram, Carmen aliquod edidi nuptiale: cui nomen ſubſcripſi cum titulo Rectoratus Alcmarienſis. Hoc puſillum adeò multos malè habuit, ut penè comitia de meo capite ſtatuerint. O quàm ex animo lætor! ſic tempori ac honorificè inde me ſubductum; ubi ſi ſæculum viveres, nunquam benignæ gratiæ meſſem meteres. Naturam loci culpo; Homines amo. Nunquam enim Mercurius & Pallas eodem in contubernio rectè ſtabulantur. Faxit Deus! illi voto & Viro bono fruantur. Et nos, poſt læta cunabula, celeri ad Vos pennâ properemus. Vale, mi Snelli.

Troica dignus
Sæcula, & Euboici tranſcendere pulveris annos.

Dabam Harlingis 3. Cal. Auguſti 1638.

MEI-

MEINARDVS SCHOTANVS Theolog. D.& Prof.

REINERO NEVHVSIO, I.V.D. S. P.

Harlingam.

PRæſtantiſſime Domine, *Manuale tuum Philologicum accepi, legi, probavi. O te beatum, qui primis hiſce annis, quibus Schola regendæ ſupremus moderator admotus es, tam ſedulò, quæ in rem eſſe poſſunt, proſpicis: quis te non deprædicet? quis diligentiam non admiretur, & induſtriam laudet? O inventum ingenioſiſſimum: quo juventus literis diſcendis devota, parvo labore ſelectiſſimos loquendi modos, apophtegmata, proverbia, hiſtorias addiſcet. Quin tu eadem opera feliciter viam prais, cui juventus in locis communibus concinnandis tutò inſiſtere poterit. Ad hoc exemplar, quotquot non incaſſum laborare volunt, poterunt; ut frugiferæ apes mel in alvearibus, ita quæcunque legunt notatu digna, per locos communes digerere. Ter felix illa juventus, quæ te Moderatore utitur. Neſcit veſtra Civitas pretium tui. Doleo multorum juvenum vicem, quod cum à teneris libris evolvendis intenti ſint, & multa notent, nullo tamen certo id faciant ordine, nulla Methodo, ut poſtea ſcripta illa nulli illis ſint uſui, ſed aut Vulcano tradant, aut cum blattis & tineis rixari ſinant. Quicunque autem te ſequi in hoc Manuali Philologico voluerit; ille perpetuum è ſcriptis ſuis fructum percipiet. Gratias tibi ago, Literatiſſime Domine, quod magno Iuventutis bono ſcriptum hoc edideris. Omnipotens Deus tuis Laboribus benedicere pergat, & te quàm diutiſſimè ſoſpitet: Amen.* Signabam Franekeræ 1636. Cal. Majas.

Tra-

Digitized by Google

Præſtantiſsimo Iuveni,

D. ANTONIO HOPTILLA,
Affini dilecto.

Veſaliam.

CHariſsime Affinis, Etſi heri ad Vos literas dederim; ſtylum tamen reſumo, & Vos ſalvos eſſe jubeo. Puderet me taciti ſilentii, quando aliqua ad manum ſcribendi occaſio, quæ tam ſingularie nunc offertur per famulum: qui ab Orco ad vitam reverſus, novum veſtræ cohorti ſupplementum ſcripturus. Quamvis animo adhuc æger & parum ad arma ſtrenuus. Tu, ſpero, meliuſculè nunc habes, poſt nuperam afflictionem, à qua totus ac integer, audio, evaſiſti. Equidem hoc tempore firmo & forti egemus præſidio, quando res noſtræ ſtant loco ſic præcipiti; & ſtragem patimur penè Cannenſem. Vt refert ad nos præpes fama, ſex militum millia, florem noſtri exercitus, miſerè perdidimus. Cauſa eſt, ajunt, mora auxiliorum & Principis abſentia. Fortiſſimè à noſtris pugnatum, Herculeis conatibus. Et niſi copiis tanto inferiores, hoſtium ſemper milite reſtaurato, nobilem nobis Victoriam peperiſſent. Iam ſiniſtrè Martem tentavimus, qui toties ab hoſte victores ſuperbi.

——Vicina pericula ſurgunt
Vndiq́, & impoſiti radiant cervicibus enſes.

Noſtra eſt culpa, & plus malorum reformido, qui ſic parum & frigidè Deo noſtro litamus. Deſino, & precor Deum, mi Antoni, ut longè abſis à Lethæis illis aquis, quas nimis largo jam calice bibêre boni noſtri Athletæ. *Raptim Harlingis* 14. *Kal. Iulii* 1638.

Clariſ-

Clariſsimo Doctiſsimoque Viro,

D. IOANNI PICCARTO, V. D. M. & Doctori Medico

Egmondam.

CLariſsime Cognate, Redit ad Parentes Filiola, ſed febri & Nuptiarum vigiliis planè fracta & debilitata. Quam animi remiſſionem tanquam medicinam, ſcio, præſcripſiſti. Nec malè. Cum prodeſſe plus ſoleat in illa ætate amœna amiculorum convivatio, quàm omnis pharmacorum apparatus. Pergratus nobis Filiolæ tuæ adventus; & cuperem ſic ſeriò & ſæpius amicum ageres, in communicanda Liberorum ſuavitate: qui ipſi adhuc ἄγονοι, & libenter in illa ſocietate nos optemus. Longiuſculè tuam detinuiſſem, ſi non ſiniſtra valetudo & invaleſcens morbus aliter mihi dictaſſet. Miſella heſternum diem cum continua nocte decubuit: tota madens ſudoribus, ac crebro anhelitu concuſſa. Neque mirum, ægritudinem adauctam, poſt tot vigiles noctes: quem illa corporis minuties tumultum perferre minimè conſuevit. Mea operam illi præſtitit; imò pompam addidit, curioſitate pluſquam Veſtali: Licet tua Agnoia, minimè morum iſtorum expers, & bonæ mentis, rem illam ſatis argutè percalleat. Creſcant, creſcant iſtæ primitiæ tui Tori & diu Parens eſto Liberorum tam beato gregi. Invenies, qui Socerum te volent ac ſolicitent, non opum & fortunarum modò cauſa; ſed Honeſti quoque ac Ingenii tui admiratione. In hoc ſiſto, mi Cognate, & Tibi Tuæque in chariſſimo pignore, Filiolâ, oſculum impingo amicitiæ veteris. Vale. *Alcmariæ* 12. *Kal. Feb.* 1639.

Doctiſ-

Doctiſsimo, Præſtantiſsimoque Viro,

D. NICOLAO SCHOTANO, I. V. D. & Advocato, Sponſo.

Leoverdiam.

A*Miciſsime Vir*, Abſit, ſine Carminum meorum gratulatione Thalamum conſcendas; etſi nunc domi familiaribus diſtringar moleſtiis, & parum vacem Poëticis illis blandimentis. Amico amicam operam præſtare oportet, & animum quandoque exonerare, ut honeſtis obſequiis morem geras. Libeat mihi ſilere potiùs hoc tempore, quàm Poëtam agere. Ita à domeſtico vulnere ſtupet adhuc animus: ut non mirum, venam noſtram nunc ſiccam & exſanguem, præ nimio gemitu ac ſuſpiriis. Malim iracundo uti Iambo: quo iniquas proſcindam Æaci leges & nigri Plutonis regnum. Sed; deſino voces atratas fundere. Cum novo Nupto loquor, & nefas damnare hic gaudia & blandos ſales. Votum quoque addo, & valere Te cum Ioſinâ tua jubeo. *Dabam Harlingis* 3. *Kalend. Iulias.* 1638.

GRATVLATIO NVPTIALIS.

Sic Tibi, ſic multo curarum faſce ſoluto
Poſt viduas noctes, Vita, SCHOTANE, *redit.*
Bis voto Lucina *favet. Bis ducitur Uxor*
Moribus, Ingenio, Divitiiſq; potens.
Quod pridem ANTHONIA *luxiſti in Conjuge vulnus,*
Hoc Conjux medica jam nova ſanat ope.
Nulla parte miſer. Quantum nocuere Noverca,
Reddidit hoc amplo fænore dives Amor.
Suffecit IOSINA *tuis ſolatia rebus;*
Dat Tibi qua vacuum nubibus ire diem:
Et Fato meliore frui. Sic Numine dextro
Felicem invenit ſpes tua, SPONSE, *viam.*

Hic

Hic Studiis debetur Honos. Ita nubere Muſis
Convenit in Friſiis, Docte Schotane, tuis:
Qui proavûm clarus titulis famaq́; Tuorum
Innocuo Cauſas ore Patronus agis.
Hoc felix IOSINA *Viro! Quo pace ſub almâ*
Vivis, & antiqua Relligione Togæ:
Ac tuto ſtas ipſa loco; Vis nulla nefaſq́;
Audeat in ſancti linquere Iura Thori.
Et dabit ex æquo partes Tibi Sponſus amorum;
Poſtulat officio quicquid amicus Amor:
Et pietas caſtique monet reverentia lecti.
Sic patitur leges Arbiter ipſe ſuas.
O utinam! ſic perpetuum Fortuna *maneret,*
Floreat ut multa prole Fideq́; Domus.
Et nova Magnanimis redeat Victoria Belgis:
Qui nimiùm dubio Marte tuemur opus.
Tunc mea Naſſoviis, pullo quæ ſordet amictu,
Principibus lætum Muſa Trophæa canet.

Doctiſsimo Reverendo Viro,

D. IOHANNI PICCARTO,
V. D. M. Doctori Medico, &
Cognato.

Egmondam.

R*Everende Vir*, Præterito Mercurio venêre ad me, Domum meam, Deputati Alcmarienſium, Nobiliſſimus D. Teylingius, & D. Snellius, Med. D. uterque illic Scholarcha. Mentem meam ſatis apertè perſpexerunt de mutando loco & laribus: ſi vocatio ſic ultrò contingat. Permovêre me multis argumentis in ſuam ſententiam: Cum affectu & propenſione ſingulari. Dominus Teylingius Vir optimi commatis, quem unum pluris facio, quàm totam libram noſtratium. Dominus Snellius acuti ac politi eſt ingenii; ſine fuco & falſo: Cum Doctrinæ elegantiis ſuaviſſimam conjungẽs humanitatem. παντοίῃς ἀρετῇσι κεκασμένος.

μένος. Cum talibus, profectò, *vivere amem & mori.* Ita eſt, Batavi longo intervallo excedunt cãdorem aliarum gentium ; Virtute ac merito magis apud illos ponderato. Hic omnia tenet ambitio ſuffragiorum ſua poſſeſſione. Quòd ab ingenuitate Muſarum vitium abſit inprimis, quæ non niſi ſola Virtutis hedera inſcribuntur. De Vocatione, D. Cognate, minimè ſum ſollicitus: quæ Deo & fide bona nititur. Hoc optem, ocyſſimè res illa expediatur. Mora mihi periculoſa, multas ob cauſas. Cæterùm, mi Cognate, Valere Te jubeo, cum Amiculis & Brederodia tua. *Harlingæ ipſis Kal. Iun.* 1638.

Reverendo Clariſsimoque Viro,

D. MEINARDO SCHOTANO, Doctori Theologo.

Vltrajectum.

REverende Vir, Iam diu Vxorem Domum duxeras, cum Ego de optato tuo Conjugio apud Friſios inaudirem. Meritò partium mearum fuiſſet Iunonem læto carmine tibi accinere, Felicem & Fauſtam. Matrimonii illa novitas, quem mihi ſtuporem in'ecerit, nullâ pennâ aut fronte tibi facilè perſcribam. Magis, cum putâram Amoris illud certamen jam dudum apud te confectum; & tam te frigidum ac Stoicum, ut plus oderis quàm ames Charitum illos complexus,

Quos Venus
Quinta parte ſui nectaris imbuit.

Benè habet, Clariſs. Vir, quod ex illa ſolitudine & ſollicitudine antiqua abieris. Nimis diu ſacrum ſilentium præſtiteras, cum ſic undique herba porrigeretur reſtaurandæ iterum Familiæ. Ex animo apprecor, Irrupta vos maneat copula, nec

Malis

Digitized by Google

Malis divulſus quærimoniis
Suprema citius ſolvat Amor die.

Ego planè nunc Batavus, nec unquam Friſium me optem. Vobis magna ex parte ſimilis: quos magis ex merito æſtimat indelibatum externæ Provinciæ judicium, quàm corruptus ille Patriæ noſtræ livor. Scio, de Leoverdia quàm obſtupueris. In tantis, inquam, meritis Paternæ gloriæ ac Virtutis. Dedit illius notam & quaſi exprobrationem de cælo Deus: qui eodem temporis puncto aliter ac melius de capite meo ſtatuit. Publica, Vir Clariſs. propter Halcyonia illa nupera, pluſculum nunc arrident. Spero, Typhis ille ſupremus, proxima æſtate, ſpolio magis opimo nos fortunabit.

Tum Batavûm plenas intrabunt gaudia mentes,
Et lætos plauſus Templa Forumq́; dabit;
Auſa ſerenatos Eccleſia tollere vultus
Efferet ingentem pectore & ore Deum.
Chriſte ſalutiferam nunc Belgis porrige dextram,
Supplicium ut meritum Cæſar Iberq́; luant.
Et cum Fratre Tibi, cum ducta Conjuge, Nobis,
Funera poſt mundi Vita perennis eat.

Qua ſpe & voto hic finiam & ſilebo. Vos quoque ſalvere jubeo. *Ex Muſeo Batavo Alcmariæ. Anno M.D.CXXXIX. x. Kal. Mart.*

Fratri Suo,

HENRICO NEVHVSIO,
I.V.D. Advocato S. D.

Leoverdiam.

CHariſſime Frater, De Patria & Republica nuper intellexi. Quæ poſt longi temporis turbas & tædium paulò nunc melius & mitius ſe habent. Crebrò hæc vovimus, & nimis diu communis ille dolor; quem jam pono & abſtergo, nova nunc

va nunc norma ac natura rerum. cum Cicerone ſentio: *Patria amicitiæ præponenda.*

Hoc juvat, & noſtras oblectant talia Muſas,
Cum bene ſit Belgis Naſſovioq; Duci.

Hæc publica de privato quod narras, riſum mihi movet ac cachinnos. Invidiam benignè patimur, & in laudes noſtras adſcribimus. Ille miſericordia magis dignus quàm ira, qui plus aliena felicitate, quàm ſuo infortunio diſcruciatur. Sed feramus hominem patienter: cui res & fides deficere jam dudum cepit. De ingratitudine erga Parentem, quando apud me cogito, planè horrenda ac formidabilis. Memini, bene recente adhuc memoria, quàm nos olim familiari converſatione uſurpaverit; quàm decora multa in ipſum effudimus. Nunc, quaſi nunquam natos, nuſquam viſos nos habet. Si per conſcientiam, & pænæ formidinem fas ſcelus deſignare, jam dudum Acherontis pabulum fuiſſemus. Vſque enim intumuit illi animus, quod de cogitatione mea nondum abierit, quàm præclara in ipſum beneficia contulimus. Teſtes apud me Literæ, quibus opem & ſuppetias noſtras toties popoſcit. Videas ipſas lacrymas adhuc, quas in ſinum noſtrum effudit. Nunc, quod mirêre, inter Friſiæ προςάτας ſe putat, divino pene cultu adorandum. *Deforme eſt de ſeipſo prædicare, falſa præſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum.* Talis ille, quem ex mediocri rerum copia peſtilens illa arrogantiæ afflavit aura. Mitto & hæc. Si quid porro apud Friſios, mi Frater, dignum notitia & Muſis noſtris, quæſo, ad nos familiari ſermone perſcribatur. Hiſce Vale cum tua Margaritâ, & eſte procul curæ omnes inanimales. *Signabam Alcmariæ 1639. prid. Kal. Auguſti.*

Digitized by Google

MEINARDVS SCHOTANVS,
S.Th.D.& Prof. Amico integerrimo,

D. REINERO NEVHVSIO,
I.V.D.

Harlingam.

LIteratiſſime Domine, *Quantopere Literis, & judicio tuo me delectaveris, nec verbis nec cogitatione aſſequi poſſum. Amoris aperta hic veſtigia, unde tam larga laudis noſtra ſeges ac ſeries. Nequaquam illa mihi vendico, quæ in me tot plauſtris verborum congeris. Hoc ſatis in rem meam, quod ſcripta mea politiſſimis veſtris ingeniis vel minimum placeant. Faxit Deus! aliquantulum ego conferam ad Eccleſiæ exædificationem. Poſſem aliquid adverſus dicacem illum; niſi conſultiùs multo putem, injuriam contemnere, quàm irritare. In ſilentio & pace poßidebo animam meam. Gratulationem Poëticam accepi: quo nomine prolixas ago gratias. Dicis exſanguem & exſiccatam Ingenii tui venam, quod minimè uſquam video. Verè Vatem agis, & penetralia Muſarum non à ſuperficie delibaſti. egregiè illud Ciceronis tibi in mente* : una eſt gloria ampliſſimum præmium, quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſolatur. *Perge, mi Neuhuſi, & callem illum rectum macte ingredere, Conſtantia & Virtute propoſita. Quod ſupereſt, Deo te commendo; qui nobis Vitam, Valetudinem, Famam integram conſervet.* Raptim Franekeræ Friſ. 4. Cal. Martii 1637.

Reverendo Doctiſsimoque Viro,

D. IOANNI PICCARTO, V.D.M. Doctori Medico.

Egmondam.

C*Lariſsime Cognate,* Nos cum Valetudine, Deo ſit laus, in benigna ſumus gratia. Vos Egmondæ in Tuſculano Veſtro perjucundè quoque habere, ſpero. In Friſia hic nos tenet, qui in utero, valida nimis vi ac imperio. Paremus nondum nato uterque Parens: Et Libertatem ſibi vendicat, antequam de Matre exierit. Dat velum ac veniam illi Natura: quo ſcuto atque excuſatione ſe tuetur. Abſque illo, iraſci meritò poſſem: quod me ad Vos ſic cupidè anhelantem tam longùm impediat ac remoretur. Quam primùm Lucina faverit, ſine minima mora rectà Alcmariam cogito. Difficile mihi tædium, à loco divinitus ordinato diutius abeſſe. Quanquam ſciam facilè, abſentiam, ut Reip. ſic naturæ cauſa non nocere. Cum Viris ingenuis res mihi eſt: quibus dictum ſat, & ratio mea abundè conſtat. Statim, inquam, poſt judiciarios illos dies, quum meliuſculè ſe habeat uxor, etſi ſolus, vaſa colligam, & ad vela me accingam. Illi bonum quæram ſodalitium & ſolatium in via; ut commodum me ſatis ac cautè ſequatur. Ego illic Muſis & Mutis umbris ſolitarius tunc obmurmurem? Quid ni: Reguſtabo veterem Academiæ vitam. Interdum ad Vos,

Et læta reviſam
Gramina, Delicias Piccarti, & amæna vireta
Fortunatorum Nemorum, ſedeſq; beatas.

Mei cauſa, mi Cognate, nemo majorem viderit focum aut fumum.

Sum ſale contentus, ſi modò ſole fruar.

Cæterùm, valere Vos jubeo in lætos amplexus, ô Amiculi. Quod maturet Opt. Max. Deus. *Dabam Harlingis 3. Kal. Aug.* 1638.

Votum

Votum Novi ANNI

Ad

Clariſs. & Reverendum Virum,

D. ADRIANVM SNELLIVM,

Med. Doct. Anno 1639. Kalend. Ianuariis.

STulta ſuperſtitio dum fálſum Numen adorat,
Et IANO *nunc vota facit. Dum degener orbis*
Deſipit, antiquumque tenet: caligine pulsâ,
Cernere plus nobis fas eſt, qui Numine certo
Nitimur, incaſſumq; preces non fundimus unquam,
Eventu nec vota carent. Hac parte litamus
CHRISTIADES. *Nil picta juvant ludibria trunci,*
Nil Iano devotus Honor. Tu maxime rerum
Arbiter, Alme Deus, noſtræ ſpes una ſalutis,
Vnus amor columenque Hominum. Tua Numina ſupplex,
Et Nomen quicunque colit, non illius unquam
Irrita vota pudor, ſpes aut incerta ſequetur.
Te ſolùm SERVATOR, *opem, Te poſcimus omnes*
Auxilium ſortemq; bonam: Duodena per Aſtra
Dum Phœbus tranſegit iter, Mundoq; reducit
Anni feſta Novi. Major nunc naſcitur ætas,
Et creſcit cum luce Labor, vitæq; propinquat
Terminus; ac ſubitò in ſenium labentibus annis,
Imminet exitio Mundus, patiturq; Senectam.
Huc ades, ô SERVATOR, *opem fer rebus in arctis*
Et Sponſæ ſuccurre malis. Eccleſia, CHRISTE,
In caſum ſtat prona ſuum, Satanaſque minatur
Iſacidum Genti Excidium. Trux Cerberus ipſe
Intonat, & fidos vocat in certamina Fratres,
Iuratas in bella manus. Conclamat ubique
Quas Erebo poſſit trahere in ſua caſtra phalanges:
Addit ſe ſocium, & rutilis ſupereminet armis
Hiſpanus, tanti columen belli, Satanæq; ſatelles,
Edoctus cumulare neces, & mittere Letho

Inſontes. Tarpeia manus, ſcelerumque miniſtra
Ferrum igneſque crepat Babylon. Nil linquit inauſum
Inferno ſacrata cohors, ſi perdere gentem
Et Chriſti delubra queat. Tandem adſpice Sponſam
Sponſe tuam, miſerere animæ tam dira ferentis.
Maturet vindicta Dei, Patriſq; capeſſe
Imperium. Tardè ſuſpenſi ſigna furoris
Compenſet gravitate Deus. Satis impia Clotho
Sanguinis, & miſera fecit diſpendia gentis
Trux Babylon. Pleno manarunt ſanguine rivi,
Et ſtragem jam terra ſtupet. Pro Marte cruento
Deſcendat Pax læta polo: ſic oderit arma
Et rabiem Bellona ſuam. Sic aurea rurſum
Teutoniæ, ac Batavûm naſcentur ſæcula terris.
Hac ſacrâ Te luce DEVS, *Ianiq; Kalendis*
Poſcimus: Hac noſtra ſolennia vota Camana.
Et Tu, Magne Virûm, Fama Clariſſime SNELLI,
Ut longùm ſupereſſe queas, vivuſq; valenſq;
Inſervire Deo: Variis erroribus actos
Lucrari CHRISTO, *& priſcas damnare tenebras.*

Clariſſimo & Præſtantiſſimo,

D. ABRAHAMO ELSEVIRIO, Typographo Celeberrimo.

Lugdunum.

C*Lariſſime Vir*, Etſi nulla nota mihi notus, quàm famæ & Virtutis publica commendatione, tamen ad manus & Officinam tuam nunc me ſiſto. Communia Muſarum ſacra, quibus uterque ſtylo operamur, ſpem mihi faciunt amicitiæ interioris. Filius ſum Clariſs. Viri D. Edonis Neuhuſii, nuper Leoverdiæ Friſiorum, perenni laude, Rectoris. Cujus Fama & calamus Orbi quoque terrarum egregie innotuit. Inter præcipui operis Scripta, quæ Parens meus in juvandam rem Literariam elaboravit, *Sacra* ſunt *Fatidica*, & *Humani Ingenii Theatrum*, quæ prælo

Ianſſo-

Ianſſoniano in lucem prodiêre. Hujus, etſi auro præponderes, nullum amplius exemplar venale. Illius, quod poſterius editum; volumina multo quoque pretio diſtrahuntur. Sed ad rem. Hæret in mea cuſtodia opus adhuc ſolidum & ſingulare, à Funere Divi Parentis ſuperſtes, cum nonnullis aliis, quæ meritò in hominum oculos & manus deveniant. De quo dico, *Eloquentiæ Gymnaſium* inſcribitur. nec ficto aut falſo titulo: quem Magno Ariſtarcho illo Batavo, HEYNSIO, meritò ſuſtinere poteſt. Qui ſi reliqua ab illo fonte ac ungue viderit ac legerit, optimè etiam de poſthumo hoc fætu judicet, non dubium eſt. Viſi aliquoties ejus Editionem apud Ianſſonium noſtrum, quem typographici ſumptus videntur deterrere, propter Germaniæ illa bella & Literarum ubique penè exilia. Tu unus primariò mihi reſtas, Vir Clariſſime, in illam rem compellandus, qui publicæ Muſarum incudi divinam in Batavia navas operam. Quare, mi Elſeviri, ſi arrideat tam pulchri Parentis pulcherrima ſoboles, illique lucem typographicâ tuâ tubâ largiri placeat, quæſo, propediem de illo certiorem me feceris; ut de temporis opportunitate deliberem, quando curriculo ad Te excurram. Interim ſalvere te jubeo, Typographorum Ocelle, Literariæ ſalutis honori ac incolumitati. *Ex Muſeo meo Alcmariano Nonis Iunii* 163[illegible].

Ornatiſsimo Iuveni.

D. TARQVINIO POPTA,
Politicè Diſputaturo. *Kal.Octob.* 1635.

Franekeram.

O*Rnatiſsime Popta*, Quod ad Martem Diſputatorium te componas, tibi & Academiæ gratulor. Idem ex animo precor, latè circumferas illud Ingenii incendium, quod per omnem Friſiæ tractum radios ſuos poſſit diffundere, & Patriam tuam Harlingam totis quaſi flammis adurere. Sic tua fama non feretur levis, & volitabis non inglorius per Amicorum tuorum ora. Qui ſinguli triumphante Adoreâ te excipient: quando Victor domum redieris. Age, nervos intende; & ingenium excute, quantum vires valeant. Addo in bonum Augurium breve Carmen, Poëticum illud calcar: quod Te inter civilia hæc bella nihilominus ad gloriæ curriculum provocet ac proritet. Cæterum valere te opto, Adoleſcens optime; & quod nuper Albo tuo inſcripſi, ſeriò cogitare. Scilicet,

Eſt aliquid jactare Genus; cum Divite Cenſu
Fortunam ex voto demeruiſſe ſibi.
Eſt aliquid Tyrio vitam oblectarier Oſtro;
Et placidum Cyprio ponere membra toro.
Eſt aliquid dulci curas vincire Lyæo,
Obſequiis animi deliciiſque frui.
Plus eſt, TARQVINI, *Virtutem extendere factis,*
Et Vitam ſtudiis Nobilitare ſuam.

Car-

Carmen
GRATVLATORIVM.

Aurea Friſiacas Libertas reſpicit urbes,
Et noſtri magna eſt alea jacta Fori.
Res bona, Libertas. Miſerum eſt ſervire: beatâ
Libertate frui, res, puto, digna Deo.
Augurio Scævaq; bona quod Friſia poſſit,
Virtutem ſolio ſplendidiore locet.
Relligio primas teneat, Doctrina ſecundas.
Hac veniet nobis dulcis ab arce ſalus.
Quid mihi Libertas, ſi non Deus aſſerit illam?
Si non hac Domina ſartaq; tecta Fides.
Credite, Libertas nulla eſt, Res publica nulla:
Quàm non Pierides Relligioque regunt.
Naſceris ominibus, TARQVINI, *& ſidere fauſto:*
Unde Harlinga novam ſpemq; decuſque foret.
A teneris tibi ſola Deo ſervire voluptas,
Flammaq; ſinceræ Relligionis ineſt.
Muſarum ſpoliis ſic POPTA *incedis opimis;*
Sic illo Victor Marte Trophæa canis:
Quàm ſi belligerum, Schencka ſub mænibus altis,
AVRIACVM *nuper trux domuiſſet Iber.*
Non Aganippæi fontes, non Cyrrha, nec omnis
Expleat immenſam Caſtalis unda ſitim.
Totus amas, toto deſcendit pectore Virtus:
In Muſas tota mente animoq; furis.
Quod Libertati noſtræ, quod defuit Urbi:
Propitio hoc olim Numine POPTA *dabis.*

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ AB EGMOND A NIEVBVRCH,

In filioli diligentiam ſtimulus.

Hagæ.

NOn capit Aonias ingens Alcmaria laudes
Filioli; in plauſum nunc venit Haga ſuum:

Dum magni miſcere cupit ſe Principis aulæ,
Naſſovidæque ſuo proximus ire gradu.
Sic dextrè nunc fervet opus, ſic maſculus inſtat;
Ne minor Auriaco militet in ſtudiis.
Sic poterit quondam doctos numerarier inter,
Ingenio & clarum condecorare Genus.
Hoc niti ſplendore decet, famamq́; tueri:
Quas non ſera dies depopulatur opes.
Adde animum calcarq́; tuum, Vir Magne, volenti:
Olim delicias ſurculus iſte dabit.

Ex tempore poſtrid.
Non. Sept. 1639.

ORATIO INAVGVRALIS,

De

Rectè Informanda Iuventute,

Ad

Illuſtrem Senatum

ALCMARIENSEM.

Digitized by Google

Virtute, Doctrina Ornatiſſimis Viris,

D. D. GEORGIO HERCVLI, Conrect.
IACOBO PETREIO.
ANDRÆÆ HASELBERGIO.
IOANNI DE IONGE.
REGNERO OLIVIRIO.
COLLEGIS ſuis amiciſſimis,
S. P. D.

REINERVS NEVHVSIVS,
Rector.

AMiciſſimi COLLEGÆ, *Habitam nuper Orationem*, De rectè Informandâ Iuventute, *Veſtro Nomini meritò inſcribo, Amoris & Officii causâ. Quæ ſponte ad Vos tendit, qui in Docendâ Iuventute, Spartam, quam nacti eſtis, magna cum laude ornatis. Nos ipſos hic depinxi in tabula, quales nos eſſe deceat, qui Scholis operam navamus, vitâ & exemplo. Quâ methodo & induſtria circa animorum generationem verſari oporteat; quibus habenis & repagulis cogenda aut coercenda lubrica Adoleſcentum ætas. Pergite, Chariſſ.* COLLEGÆ, *quâ cepiſtis diligentia, Provinciam & Pubem regere ac moderari. Deo & Reip. rem utilem facitis, & nulla erit tam ingrata Poſteritas, quæ non Veſtro Labori dignas ſemper gratias habebit. Vos & Gymnaſium univerſum, Faxit Opt. Max.* DEVS, *diu feliciterq́; publico* ALCMARIÆ *bono floreat ac ſubſiſtat. Valete.*
Ex Muſeo meô xv. Oct. 1639.

REI-

REINERI NEVHVSI, IC.

ORATIO INAVGVRALIS,

De rectè Informanda Iuventute, Habita Kal. Novemb. 1638. in Illuſtri Gymnaſio Alcmarienſi.

Q*Vod Felix Fauſtumque ſit*, Ampliſs. Spectatiſſime D. PRÆTOR; Magnifici; Nobiliſſimi, Prudentiſſimi DD. CONSVLES; Conſultiſſimi, Doctiſſimi; DD. SCHOLARCHÆ; Reverendi, Clariſſimi DD. PASTORES; *Vos Auditores ac* MECÆNATES Humaniſſimi. *Tandem inquam*, Quod Felix Fauſtumque ſit, *Vivus valenſque ad vos advenio; ut quam mihi ultro & honorificè in Illuſtri Veſtro* GYMNASIO *Provinciam decreviſtis; nunc Bono cum* DEO *aggrediar. Vale Patria* FRISIORVM *antiqua, Vale quondam mea Leoverdia. Tu* dulce decus meum, Muſarum Domus optima, *ſalve illuſtris* ALCMARIA. *Ad Vos, Viri Nobiles, Viri prudentes libens lubenſque me confero. In Veſtram Civitatem, quam præ cæteris ſolam atque unicam optare potuiſſem, me & Muſas meas, feliciter quod vortat* DEVS! *tranſporto. Equidem ex ipſo lætor animo*, Καὶ ἀπὸ βαθείας γνώμης συγχαίρω, *quod hiſce Vos oculis nunc coràm intuear, qui per omnem æſtatem, per tot menſium & dierum ſpatia, meis ſemper ſenſibus, & interno illi Genio ſic perpetim oberraſtis. Meritò enim me oblectet,*

meliore Sparta Muſas meas adornare; illic loeorum vitam ducere; illo noctes & dies adſpirare, ubi plus, quam in ſterili Harlingâ, DEO *ac bona menti litare ac lucrari poſſim. Quemadmodum præ cæteris Virtutibus Batavorum nomen illuſtri in famâ verſatur, ac per omnem Europam, & utriuſque Solis limitem inclaruit: Sic potiſſimùm Ingeniorum illo ſplendore & Bonarum Artium nundinatione ſibi admirabilem apud omnes Nationes reverentiam conciliavit. Hac de cauſa Veſtra Reip. civis eſſe malui: quæ domi non minus contra Legum barbariem, literarum munita præſidiis; ac foris contra communem Libertatis hoſtem armorum viribus defenſa: quàm inter illos Ambitionum ignes, & tot civilium diſcordiarum procellas, vel unam amplius dieculam tranſigere. Non dubitem, quin ſanctiore Domicilio hic Fidem & Muſas offendam: ubi & laudem ſine invidia, gratiam pro jure & merito invenire quis poſſit. Illa, prò dolor! dolenda Reſp. quæ adeò inteſtinis convulſa ſeditionibus, ſic animorum diſtracta diſſidiis, ut nihil ſanctum atque æquum pro virtute, omnia ad unius ſervilis lucri compendium ordinet ac diſponat. Sed nolo noſtrum ſæculum, aut Patria mea hoc ore & loco nunc vapulet. Pars amoris eſt, illa ſilentiis caliginoſi temporis involvere, quæ apud tuos, ſi in lucem protrahantur, dedecori eſſe queant. De Muſarum & Literarum jactura tantùm hic queror. Quæ ſi apud Noſtrates magis in deſpectum & fabulam veniant, vereor, antiqua noſtra gloria, & Parentum illuſtris Fama, non parvum, prô pudor! detrimentum. Quo magis,* Ampliſſimi, Spectatiſſimi Viri, *Veſtram ego Civitatem, ambabus quaſi ulnis, amplexus fui, ſicut tutiſſimum Studiorum meorum perfugium, & unicum Literatæ Sapientiæ Aſylum. Ubi ſub ipſâ Heliconis umbrâ, velut alta in ſolitudine atque otio cum venerandis Muſarum Alumnis liceat conſeneſcere. Quo potiſſimum favore,* IVDICES, *nunc ære Veſtro exibo? Quid muneris rependam, pro tanta in me gratia ac honeſtamento? Inopinato me gaudio cumulaſtis, iſtis præſertim temporibus, quando magno Literarum Columini,* PARENTI *meo, ferale officium exſolverem, totus tunc lacrymis ac dolore coopertus:*

Vos,

Digitized by Google

Vos, novum mihi de cælo Sidus affulſiſtis, tanquam præſentaneo vulneri præſentem medicinam adhibituri: certè per viam fatalem, & quaſi vindicem acerbiſſimi doloris. Neſcio ſanè, quæ ſoli natalis me nauſea tunc primùm cœperit, quando meus Ille, heu! quondam PARENS, *hujus vitæ ſtationem deſereret, memoria ſuæ virtutis parùm dignè in Liberorum promotione reſervata. Hoc magis me afficit, & lætor ἐκ φρενῶν μυχῶ, quod apud Vos,* Ampliſſimi, Spectatiſſimi VIRI, *tanto dignius Literarum Studiis Hoſpitium invenero: Quò me non vilis ille ambitus, & ad oſculum dejecta ſuffragia; ſed ſolius Dei providentia deſtinavit. Quamvis in Patria mea ſatis ampla gloria floruerim, & per integrum ſexennium moderandæ Iuventuti non ſine laude ac invidia præfuerim; Quæ mihi in Galliis etiam domo abſenti, ultrò tunc Provincia evenit: multò tamen amplius veſtro Honori ac munificentiæ attribuo: Qui me Illuſtris* GYMNASII ALCMARIENSIS *Rectorem & Reſtauratorem voluiſtis, vocaſtis. Quod in illum me locum collocaſtis, ex quo magni Nominis olim viri abditam Eruditionis ſcientiam ſunt profeſſi. Inter quos, præ cæteris, primas facilè tenet Doctiſſimus ille Murmellius: Sub cujus Diſciplina tantus in Veſtram urbem confluxus, ut ex Annalium illa fide eruenti ſummam meritò admirationem relinquant.* Atque *eo magis, quod me ſic floridâ ætate, primâ vernantem lanugine, & nondum annoſo Prudentiæ collecto robore, in talium Virorum cætum ac coronam adoptaſtis. Quam vellem, pari nunc animo tanti Beneficii magnitudinem adæquare, aut aliquo Ingenii noſtri donario meam erga Vos gratitudinem publicè conteſtari poſſem! ut quæ tam liberaliter in me munera congeſſiſtis, non ignobili etiam loco collocata videretis.* Animi ingenui eſſe *judico,* cui multum debeas eidem plurimum velle debere. (Seneca.) *Quare, cum omnia mecum animo diligenter perpenderim, ac plenum conſilii ſenatum, ut ait Comicus, in cor advocaverim, nihil profectò veſtræ exſpectationi, tum meæ provinciæ utilius meliuſve invenire potui, quam ut de* Informandâ Rectis Moribus juxta Bonas Artes Iuventute, *hoc tempore verba facerem.*

facerem. In quo uno Veſtræ civitatis ſalus, univerſæ Reip. felicitas, ut in ſuo cardine & fundamento, ſtabilitur. Quod dum facere inſtituo, & nunc Scholaſticæ Inſtitutionis longum iter ingredior, hoc Vos oro rogoque Magnifici, Ampliſſimi DOMINI, *aures mihi veſtras benevolè præbeatis, ut Oratio mea benignæ attentionis afflata Zephyro portum facilius nanciſcatur.*

* *Bonum Factum!* IVDICES; *ac laudabile Maiorum Inſtitutum: quod in Illuſtri* ALCMARIA *Civitate, Publicam Bonarum Artium Virtutiſque Officinam erexerint. In quâ Sui & Poſterorum Liberi præclara Studiorum laude inſtructi & inſtituti, ad Spem feliciter gubernandæ Reip. alerentur. Quo uno nihil ſanè ad ſuos Nepotes in omnem vitam pulchrius conferre potuerunt, ad Publicæ Salutis cuſtodiam nihil utilius, ad ſervandam Religionis puritatem nihil melius, ad magni Numinis amplificationem & gloriam nihil unquam laudabilius magiſque neceſſarium.* Neque enim aliud Scholæ ſunt, quàm Officinæ Sapientiæ, Domicilia honeſtatis, Seminaria Reip. Διδασκαλεῖα λογικῶν, καὶ θεογνωσίας παιδευτήρια. (D. Baſilius.) *Quod inprimis in hoc laudabili Gymnaſio ſumma ſemper ope diligentiaque inde à longi temporis intervallo in hodiernum uſque obſervatum. Cui de Præſtantiſſimis proſpiciendo Magiſtris, nullis unquam ſumptibus, aut itinerum moleſtiis Clariſſimi Magiſtratus deterriti fuerunt. In alias provincias, longè à patria diſceſſerunt, ut jacenti Scholæ ſupplementum ſcriberent, & florem optimorum Virorum eligerent, quos ſuis Liberis ad virtutis & doctrinæ exemplum præficerent. Neque in illo Zelus & ſedulitas celeberrimi Senatus deſêdit. Quo ad Docentium authoritatem maximoperè faciebat, Diſcentium animis metum ac reverentiam incuteret, perpetuas ſuæ Iuventuti & Gymnaſio Leges condidêre. In quibus, ut civitatis univerſæ ſalus, teſte Ariſtotele, conſiſtit: ſic frænandæ formandæque Iuventutis ratio præcipuè ab illis dependet. Cum apud imbellem turbam & innoxios illos animos tacita legum reverentia plurimum poſſit. Aliæ plerunque Nationes*

* Commendatio Alcm. Gymnaſii.

cum

cum exigua Virtuti pabula ſubminiſtrent, bonis Artibus ſuum otium invideant, nihil poſterius ad animum & curas admittant, quàm de Re Literaria bene mereri. VOS, Ampliſſimi Viri, *de Literis & Literatorum præmiis, etſi in mediis Bellorum incendiis, ſummâ cum laude curam & cogitationem ſuſcipitis. Nunquam ad publicum ærarium ita avarè attenti aut in re nummariâ ſic difficiles, quin parata Virtuti merces, & benemerentibus abundè ſua ſuppetant præmia, ſolatia. Tunc optimè locatam cenſetis operam, quando tenellis Puerorum animis religioſa adhibetur Educatio. Quod non immeritò dixerim de ſingulorum Civium in* Literas *amore, quo ſui Senatus ſententiam de juvandis Muſarum rebus unanimi conſenſu probant, amplectuntur. Qui nihil cum ſuà ipſorum ſalute rectius convenire arbitrati, quàm ætatis illud lubricum, quàm* Liberorum *ſuorum vitam ab optimis Ingeniorum Magiſtris ad decentem Virtutis habitum componi. Scilicet,* * πήγη καὶ ῥίζα τῆς καλοκαγαθίας ἐστὶ τὸ νομίμου παιδείας τυχεῖν. *Quamobrem nihil mirum, Præſtantiſſimi Ingenii Viros hoc tam clemente ac benigno* Literarum *aëre oriundos: qui & anteacto & præſenti adhuc ſæculo æternam gloriæ ſuæ famam tranſcribunt. Ex hac illuſtri* ALCMARIENSIVM *Civitate, illa Illuſtris* NANNIORVM, NIEVBVRGIORVM, *Nobiliſſima* TEYLINGIORVM; *Inclyta* FORESTORVM, ac OVDESTEYNIORVM *Familia. Hinc perpetui Mobilis atque Nominis inventor* Drebbelius; *Mechanicarum artium Clariſſimus* Houtmannus; *& ille, quem recente adhuc lugemus vulnere, Mathematum Coryphæus,* Adrianus Metius. *Quorum fama & eruditio cum ipſo ſolis curriculo determinatur. Longa foret tabula, plenaque invidiæ, ſi ſingulorum nomina & Imagines, quibus Civitas noſtra abundè ſcatet, in ſcenam proferrem. Quos inter, Clariſſimos tamen* CORENIOS; *Diſertiſſimos* SNELLIOS, BRVNONES *præterire minimè poſſum, aut debeo, Viros multijuga Eruditione, ſingulari Virtute, ac omni laudum genere cumulatiſſimos. Et ſanè, nulla patria majorem ſibi laudem acquiſivit, quàm ſi illo*

* Plut. de Educat. Liberorum.

Divina-

facerem. In quo uno Veſtræ civitatis ſalus, univerſa Reip. felicitas, ut in ſuo cardine & fundamento, ſtabilitur. Quod dum facere inſtituo, & nunc Scholaſticæ Inſtitutionis longum iter ingredior, hoc Vos oro rogoque Magnifici, Ampliſſimi DOMINI, *aures mihi veſtras benevolè præbeatis, ut Oratio mea benignæ attentionis afflata Zephyro portum facilius nanciſcatur.*

* *Bonum Factum!* IVDICES; *ac laudabile Maiorum Inſtitutum: quod in Illuſtri* ALCMARIA *Civitate, Publicam Bonarum Artium Virtutiſque Officinam erexerint. In quâ Sui & Poſterorum Liberi præclara Studiorum laude inſtructi & inſtituti, ad Spem feliciter gubernandæ Reip. alerentur. Quo uno nihil ſanè ad ſuos Nepotes in omnem vitam pulchrius conferre potuerunt, ad Publicæ Salutis cuſtodiam nihil utilius, ad ſervandam Religionis puritatem nihil melius, ad magni Numinis amplificationem & gloriam nihil unquam laudabilius magiſque neceſſarium.* Neque enim aliud Scholæ ſunt, quàm Officinæ Sapientiæ, Domicilia honeſtatis, Seminaria Reip. Διδασκαλεία λογικῶν, καὶ θεογνωσίας παιδευτήρια. (D. Baſilius.) *Quod inprimis in hoc laudabili Gymnaſio ſumma ſemper ope diligentiaque inde à longi temporis intervallo in hodiernum uſque obſervatum. Cui de Præſtantiſſimis proſpiciendo Magiſtris, nullis unquam ſumptibus, aut itinerum moleſtiis Clariſſimi Magiſtratus deterriti fuerunt. In alias provincias, longè à patria diſceſſerunt, ut jacenti Scholæ ſupplementum ſcriberent, & florem optimorum Virorum eligerent, quos ſuis Liberis ad virtutis & doctrinæ exemplum præficerent. Neque in illo Zelus & ſedulitas celeberrimi Senatus deſedit. Quoad Docentium authoritatem maximoperè faciebat, Diſcentium animis metum ac reverentiam incuteret, perpetuas ſuæ Iuventuti & Gymnaſio Leges condidêre. In quibus, ut civitatis univerſæ ſalus, teſte Ariſtotele, conſiſtit: ſic frænandæ formandæque Iuventutis ratio præcipuè ab illis dependet. Cum apud imbellem turbam & innoxios illos animos tacita legum reverentia plurimum poſſit.* Aliæ plerumque Nationes

* *Commendatio Alcm. Gymnaſii.*

cum

cum exigua Virtuti pabula ſubminiſtrent, bonis Artibus ſuum otium invideant, nihil poſterius ad animum & curas admittant, quàm de Re Literaria bene mereri. VOS, Ampliſſimi Viri, de Literis & Literatorum præmiis, etſi in mediis Bellorum incendiis, ſummâ cum laude curam & cogitationem ſuſcipitis. Nunquam ad publicum ærarium ita avarè attenti aut in re nummariâ ſic difficiles, quin parata Virtuti merces, & benemerentibus abundè ſua ſuppetant præmia, ſolatia. Tunc optimè locatam cenſetis operam, quando tenellis Puerorum animis religioſa adhibetur Educatio. Quod non immeritò dixerim de ſingulorum Civium in Literas amore, quo ſui Senatus ſententiam de juvandis Muſarum rebus unanimi conſenſu probant, amplectuntur. Qui nihil cum ſuâ ipſorum ſalute rectius convenire arbitrati, quàm ætatis illud lubricum, quàm Liberorum ſuorum vitam ab optimis Ingeniorum Magiſtris ad decentem Virtutis habitum componi. Scilicet, * πήγη καὶ ῥίζα τῆς καλοκαγαθίας ἐςὶ τὸ νομίμȣ παιδείας τυχεῖν. Quamobrem nihil mirum, Præſtantiſſimi Ingenii Viros hoc tam clemente ac benigno Literarum aëre oriundos: qui & anteacto & præſenti adhuc ſæculo æternam gloriæ ſuæ famam tranſcribunt. Ex hac illuſtri ALCMARIENSIVM Civitate, illa Illuſtris NANNIORVM, NIEVBVRGIORVM, Nobiliſſima TEYLINGIORVM; Inclyta FORESTORVM, ac OVDESTEYNIORVM Familia. Hinc perpetui Mobilis atque Nominis inventor Drebbelius; Mechanicarum artium Clariſſimus Houtmannus; & ille, quem recente adhuc lugemus vulnere, Mathematum Coryphæus, Adrianus Metius. Quorum fama & eruditio cum ipſo ſolis curriculo determinatur. Longa foret tabula, plenaque invidiæ, ſi ſingulorum nomina & Imagines, quibus Civitas noſtra abundè ſcatet, in ſcenam proferrem. Quos inter, Clariſſimos tamen CORENIOS; Diſertiſſimos SNELLIOS, BRVNONES præterire minimè poſſum, aut debeo, Viros multijuga Eruditione, ſingulari Virtute, ac omni laudum genere cumulatiſſimos. Et ſanè, nulla patria majorem ſibi laudem acquiſivit, quàm ſi illo

* Plut. de Educat. Liberorum.

Divina-

Divinarum mentium Spiritu immortalem ſuo nomini gloriam reliquerit. Igitur Alexander M. cum Achillis tumulum intueretur, ter felicem exclamavit Adoleſcentem, quod ſuæ Virtutis præconem Homerum inveniſſet. Etiã profectò, Veſtræ Civitati divinitus ac peculiare hoc datum videtur, ut cum ſola vinci regiis armis non potuerit, Clariſſima Ingenia ex illa libera & intacta ſervitio Civitate ederet, quæ terræ, in quâ aërem hauſerant, oblita, ex cæleſtium & Naturæ rerum indagatione, non ſine miraculo præſentis ævi inclareſcerent *. *Et præter illa, Cæli Solique temperies, quæ Hominũ animos vario ac difformi calore ſolet diſtinguere, ad recipiendas omnes Muſarum delicias, Ve[ſtræ] quoque Urbis Pomarium deſcripſit. Ut vix putem, Poëticum illum Parnaſſum, aut viridantem perpetuò Heliconã, ſua dulcium aquarum ſcaturigine ac amœnitate plus unquam eruditas Dearum animas affeciſſe. Supra omnes Alcinoos, ſupra Adonidum hortos, ſupra Pompeianas ac Salluſtianas ambulationes, Flora ſe veſtra exerit.*

[a] Nec Latium præfer Bajas; aut Theſſala Tempe
Græcia, nec campos Brixia terra tuos.

[b] Manè ſurrexiſti? ad Muſicam, & circumſonant te, & velut ſalutant Chori illi alitum, ſuaviter fritillantium, trutilantium, ad quod non æquiparent ſe tibiæ, cytharæ, aut ex arte ulli cantus. In hortum proſpexiſti? Oculorum aciem perſtringet tibi illâ ipsâ nocte exortum agmen florum. In pratum? occurrent Vere novo arbores odorâ quadam & canâ nive perſperſæ. Inſitiones mirabere & matrimonia, adulteria & ſuppoſitos fœtus, inſcia matre nec invita. *Quod de ſuo olim agro Themiſtocles per Præconem proclamari juſſit, hoc meritò de veſtra Ego Civitate dixerim:* γείτονα χρηστον ἔχει. *Quid enim magis Muſarum habitacula commendet, quàm illa ſylvarum vicina amœnitas, tot circumjacentiũ agrorum fœcunda ubertas? ubi unquam fatigatum ſtudiis animum & intentas cerebri cogitationes, ſive negotiorum undis compreſſum*

* P. Vinſemius in Epiſt. Funeb. Metiana. [a] Caſp. Barlæus de Alcmaria. [b] Lipſ. 1. Cent. Epiſt. 8.

ſpiritum

ſpiritum reficies melius feliciuſve, quàm ſub illo frondeo ſimulacro, ſub opaca nitidiſſimarum arborum corona? Quàm præclare, Auditores, de Muſarum otio Veſtri Majores ſunt meriti! Qui ſub jucunda Cæli plaga, ſub tam benigna Naturæ Zonâ Liberalium Ingeniorum meditationi hoc dignum & laudabile Virtutis Theatrum aperiverunt. Utinam modò! poſterior ætas, & ab illo fonte deducta in hoc ſæculum progenies eâdem adhuc Virtutis flammâ incaleſcat; ne quid avi degenerantis macula, aut infelix temporum injuria priſco illi decoro detraxerit.

* *Sed longùm me nimis Fortunata morantur Nemora, Sedeſque beatæ. Revocat promiſſa materies; Et poſt læta utriuſque luminis ſpectacula, tempus eſt in ſcholam reverti: ut, quod principiò pollicitus fui, animos & aures veſtras illi utili ac neceſſariæ Formandæ Iuventutis Imagine demulceam atque oblectem. Si ulla Reſp.* Iudices, *ſarta tectaque ſubſiſtere debeat, principe loco curanda eſt Iuventutis recta Inſtitutio. Quæ ſi languida & parum bonæ fidei, vah! quàm turpe noſtris majoribus ludibrium debemus. Etenim à prima puerilis infantiæ nutritione, omnia in humanam ſocietatem bona promanant. Nec citius in ruinam ipſa Imperiorum poteſtas adduci poteſt, quàm ſi liberaliter educandæ Iuventutis tollantur Gymnaſia. Dicite, amabo, quid à belluinâ feritate, à barbarorum ignominioſa cæcitate, ab exotica Gentis profanitate differemus, ſi divina Præceptorum ſileat Oratio? Quare primus ille Eloquentiæ Parens* (Cicero): Nullum, *inquit*, majus meliuſve afferre Reip. munus poteris, quam ſi doceas atque erudias Iuventutem, iis præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda atque coercenda ſit. *Quamobrem non de nihilo operam meam collocare videbor, ſi parum Ego attentius Scholaſtici muneris provinciam, quæ præcipuè inter* DOCENTEM & DISCENTEM *verſatur, Vobis hoc Loco demonſtravero.* [a] Scholarum Magiſtri animorum generatione

* *De Officio Præceptoris*, Pars 1. [a] Parens meus p.m. im Th. ing: H.:m.

Deum

Deum æmulantur, pubis formatione Naturam perficiunt, amoris ſtudio parentes æquant, Virtutis ſapientiæq; præceptis Remp. conſervant. Quod ut præſtent, ô Herculeæ Virtutis animoſa pectora! *Illud cum obire Dionyſius non poſſet, Diogenes* (Laert.) *pro Cynica ſua mordacitate, tam illum malè* idoneum Puerorum Rectorem, quàm Populi Regem vocavit. *Profecto! divina eſt atq; admirãda adminiſtranda Rei Scholaſticæ provincia*; Καὶ πάντων χαλεπώτερον ἐστὶν ἄρχειν ψυχῶν (Nilus). *Quæ Functio non niſi magno Virorũ delectu, niſi ipſo rerum experimẽto cuiquam concredi debet. Caput lubricæ ætatis & immorigeræ Iuventutis Præceptor eſt; à quo omnis Vitiorum labes, tanquam incorrupto ſui ſæculi exẽplo, longiſſimùm abeſſe debet.* * *Ut, qui aliis vitæ morumq; normam præſcribit, à ſe ipſo optimè vivendi regulam deſumat. Cum molli ætate negotium habet: ubi præſertim opus egregio in Virtutem Manuductore: qui tenellis ingeniis ſtatim à lacte materno, quemcunque volet, certiſſimæ Virtutis habitum imprimat.*

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit. *Horat. in Epiſt.*

Abſit à Puerorũ illo grege mali oris & moris Magiſter: qui ſua impuritate plus uno die cõtaminet, quàm integra ætate animum innocentem erudiat ac emendet. Fugite illum Protagorã, fugite; nec corrupta pravis artibus Iuventute ſibi gloriã cum flagitio aucupetur. Sunt illa beneficæ Naturæ prodiga, καὶ ἀγεωτέροισι δύνασιν ἐοικότες: *qui alieno malo tanquã ſuo ſanguine & ſucco victitant. Melior verò illa* Æſchinis *ſentẽtia:* Διδασκάλοις σώφροσι καὶ φιλοπόνοις παρακαταδιδώμεθα τοὺς ἡμετέρους αὐτῶν παῖδας. *In illorum, inquit, cuſtodiam Liberi noſtri committendi, quorum vita & Virtus aliis Cynoſura atq; exemplum fiat. Non aliter* Theophylactus *ſtatuit: qui Præceptorem illis Virtutibus vult præditum, quas ipſe poſtmodum à ſuis Diſcipulis ſit exacturus. Quod ſi parum ſtudioſe ac diligenter in Rep. obſervetur, quàm Vos, ô Cives, infeliciſſimam morum barbariem, cum priſcis mundi tenebris, propediem habituri.* Nibil, *credite, pernicioſius;*

* *Damnum mali Præceptoris.*

nihil

nihil cum majore detrimento in hominum ſocietatem profluere, quàm ſi prima Iuvẽtutis ſeminaria ex malè regentium contubernio, tanquam veneno aliquo inficiantur. Scivit hoc optimè peſſimus Iulianus *. *qui ut facilius Chriſtiani nominis memoriam deleret, Præceptorum illis uſu atque exercitio interdixit. Fecerunt hoc* Mitylenenſes †. *qui, cum acerbiſſimis hominem ſuppliciis damnarent, morum illis Diſciplinam ademerunt. Sic monſtra illa humani generis* Licinus *&* Caracall †; *ita olim* Cretenſes, §. *qui cum peſſimè alicui vellent, malorum illi hominum ſocietatem imprecabãtur. Quid ni Naturæ lex eſt: Quicunque in alium imperium voles, ac inprimis imperitæ multitudini praeſſe, aliis tuæ virtutis facem præferas oportet. Cum nulla res ita pernicioſa Diſcipulo, ſicut vita Magiſtri contumelioſa. Præſertim, cum nemo noſtrûm ignoret, præclaræ Inſtitutionis fundamentum in Virtute conſiſtere.* Et quemadmodum Præſtantiſſimi Pictores primùm in tabulis ponunt lineamenta, denique coloribus rem illuſtrant: ſic molles ac mobiles Puerorum animos primùm Virtutis colore formari, quàm Literarum pulchritudine ornari debere.* τότε ἀνύει, *dixit Didymus,* Διδάσκαλος, καὶ πιςεύεται λέγων, ὅταν ἀφ' ὧν πράττει, παιδεύῃ. *Et quis alius illorum, quos exantlamus, Laborum finis, quàm* ERVDITA PIETAS? *ut non minus religioſâ Virtute, quam bonarum Artium notitia excellamus. Quem ſi noſtris oculis ſcopum & terminum declinemus, fruſtra eſt, etſi unus omnium Muſarum ſupellectilem ingenio tuo complectaris.*

Pietas fac condiat Artes,
Et primùm ſit noſſe Deum tibi cura Iuventus.

Bonus verò Vir, *inquit Seneca,* ſine Deo nemo eſt. *Comici Sententia*: penes illum omnia adſunt bona, quem penes eſt Virtus. (*Plautus*) *Ex ſacra pagina:* Pietas ad omnia utilis; *& Deo quodcunque opus niti-*

*. Marcell. †. Ælianus. †. Dion. Nic. §. Val:Max: **Inſtitutionis Fundamentum in Virtute:*

tur,

tur: æternum ac durabile: cætera omnia fluxa caduca ſunt, Vanitatum ipſa vanitas. (*Seneca.*) Quid in Homine ad rem pertinet, quanti fænoret, à quàm multis ſalutetur, quàm pellucido poculo bibat, ſi non *cæteris fortunæ blandimentis Pietatem; ſi non Doctrinarum illi majeſtati Virtutis quoque dignitatem ac gloriam conjungat? Præclara Virtutum facinora, ſicut anima, immortalia ſunt.* Hæc ſolida armatura, *ait Antiſthenes*, quæ detrahi non poteſt, *nec unquam ad virtutem ſibi deficit, nec ulla re opus habet, niſi robore Socratico.* Virtutem in Templo invenies, in Foro, in Curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, calloſas habentem manus. (*Sen.*) *Cujus etſi tenera ſint principia, à tempore duramentum & robur acquirit. Huic vera laus debetur, ſola beatum, honoratum, nobilem facit; una temporum injurias neſcit, fortunæ aſſultum ridet; in ſecundis, in adverſis non colorem, non animum mutat,*

Etſi totus illabatur Orbis
Impavidam ferient ruinæ. *Horat.*

a *Hoc primum veræ laudis Theatrum: quod generoſæ Iuventutis Moderatorem ſine tædio, ſine faſtidio ingredi oportet. In quo Diſcipulorum chara ſibi Pectora, ad glorioſæ Virtutis palmam, quâ poſſit induſtria, ſtrenuè exerceat. Neque tamen ſola Virtus, etſi primarium facilè locum teneat, illud arduum Magiſtri munus plenè perficit ac tuetur. Comitari illam velut Ducem debet multarum rerum Scientia; ſi ad famam boni nominis & uſum juventutis ſerio quis attendat. Neque in alium transfundere quid poteſt, aut de ſuo quicquam ingenio ad Diſcipulorum aures referre, ſi non ipſe à varia Eruditione, quam aliis tradendam ſuſcepit, pulcherrimè ſiat inſtructus* b. *Quamvis non ita facilè in hanc partem providi Magiſtratus errorem committant: qui alienam eruditionem, aut ex ſcriptorum fama, aut conſultis ſuorum judiciis,*

a *Requiritur in Præceptore Scientia & aptitudo Docendo.* b *Non temerè vocandi præceptores ad munus Scholaſticum.*

ante-

antequam periculoſa vocationis diſcrimen adeant, examinare prius ac ponderare poſſunt. Illud tamen ſæpenumerò ignorare ſolemus, quorundam præclara Ingenia an ad promendam eruditionem, ad inſtruendum aliorum animos ſatis idonea ac aptè nata videantur. Illa ut in abditis naturæ ſeceſſibus ſæpiſſimè latent: ſic niſi judicioſa contemplatione in medium protrahuntur. Multi divino valent ingenio, variamque intus eruditionem ſapiunt, cum tamen ad docendum planè inepti & natura inhabiles. Omnia ſuo ſupercilio videntur complecti, nihil in aliqua arte ignorare. Quos ubi in opere ad praxin inveneris, & ſua ingenia paullũ excutere, vix ſui illos ſimiles invenies. Nihil in converſatione oſtendunt humanitatis, in correctione patientiæ, in diſciplina moderationis, judicii. Multa perperam, præpoſterè ſuis Tyronibus inculcant, ſine lege, ſine methodo quodcunque pertractant. O miſeram juventutem! quæ ab ejuſmodi Literarum Magiſtris vitæ modum capeſſis; quæ ad illorum nutum & arbitria omnem ætatis florem conteris ac conſumis. Hoc ſolidum Naturæ beneficium, ad cujuſcunque Ingenii mores aptè decenterque ſe componere; ſingulorum indolem non ex cæco mentis impetu, ſed ex æquo atque recto diſcernere ac dignoſcere. Quo uno in Scholaſtica functione nihil in homine præclarius, nihil adeò neceſſarium.

Ille ſapit ſolus, reliqui volitant velut umbræ.

Modò cum divino, ſubtili, aut mediocri ingenio converſaberis; nunc cum humili, tardo, tortuoſo; nunc cum obſtinato ac refractario; cum horrido & inculto. Ad omnem quaſi auram hic ſapere oportet, qui ſemel Literarium illud æquor eſt invectus. Non adeò in diverſos hominum morbos incidit Medicus; non Luna tam varios colores aſſumit; non Cælum tam diſpares motus ac tempeſtatem admittit: quàm illa Ingeniorum ratio multifariam in humano pectore ſe oſtendit. In quo negotio qui verſaris, cave in alteram partem ne quid nimis. ὁμοίως ἐστι κακὸν, καὶ ἄνεσις ἀσωφρόνιστος, καὶ κατάγνωσις ἀσυγχώρητος. (Nazianz.) Quæ in pravum induruerunt,

Parens p. m. in Th. Ing. Humani.

runt,

runt, facilius corrumpas quàm corrigas. (Quintil.) *Dura & immitis ſeveritas animorum alacritatem frangit.* Enervis & delicata indulgentia, remiſſo cupiditatum fræno, ad peccandum licentiam permittit. Detur ætati parva innoxiè laſciviendi venia.

Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium ſua ſponte rectè facere, quàm alieno metu. *(Terent.)*

—Peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandataque fortius urget
Imperioſa quies. (*Lucanus.*) *Et alibi,*
Ingenia melius recta ſe in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta Libertas alit.
(*Sen. Poët.*)

Quod egregiè noſtro ævo Eraſmus: Haud ſcio, *inquit*, an quicquam diſcitur feliciùs, quàm quod ludendo diſcitur.

a *Agite Vos*, Amantiſſimi Collegæ, *& ad rectè informandam Civium noſtrorum Iuventutem omnes Ingenii nervos, vires virtuteſque mecum conferte. De cujuſq; indole & ingenio prudenter deſpicite; de latentibus naturæ notis fideliter providete: & ad animorum nativam vim, ad intus detruſos animi ſenſus Vos quàm maximè idoneos componite, conformate. Ineſcare enim diſcipulos qui neſcit, nunquam rem faciet. In imbelli ſumus militia, nunc cum mollibus, cum mobilibus; mox cum duris, refractariis puerorum ingeniis fortiter colluctandum. Nequid temerè aut inconſultò hîc fiat, mirâ prudentia, multa patientia eſt opus:*

Dum faciles animi Iuvenum, dum mobilis ætas. (*Virgilius.*)

Aliqui laudum duci ſtimulis malunt, quàm ſuppliciorum metu coërceri. Illos vix frænis & repagulis retinere queas. Hi ſponte, iſti alieno imperio & calcaribus aſellorum inſtar, urgeri volunt. Præceptor bonam indolem erexit, modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus diſcuſſit deſidiam, ingenium pi-

a *Hortatio ad Cognoſcendam indolem.*

grum

grum & latens, injecta, ut ſic dicam, manu extraxit(Seneca). *Hac ſi ſingula quis facere poſſit, divinum illum quis neget? ille* (Perſius.)

Rara avis in terris, nigroq; ſimillima Cycno.

Tum demum multò magis, cum liberali vultu atque animo tantæ difficultatis provinciam ſuſtinet, cum ſumma diligentia, abſque aliqua bile & ſalſugine, illum Orbicularem Siſyphi lapidem perpetuò volvit, ac revolvit. Quando nulla in docendo moroſitas illum abripit, nulla difficultatis latebra impedit ac moratur.

Qui premere, & laxas norit dare cautus habenas. (*Virgilius.*)

Is etiam eſt Honos Homini pudico meminiſſe officium ſuum. Et nimis homo nihili eſt, qui piger: nimiſque genus ego id odi male. (*Plaut.*) ὁμῶς αἴδχο πύλησι.

a *Quàm propè infinita.* AVD. *in Bonarum Artium Magiſtro Virtutum præcepta requiritis! Non minus, in quot animi vitia prona præcepſque Iuventus incurrit, tot quoque numero optimis illum remediis inſtructum eſſe vultis: quibus ægris & corruptis aliorum mentibus medicinam affundat. Ne quod teneræ ætati contagium ſubitò adhæreſcit, in nervum & conſuetudinem obduret. Cæteroquin univerſæ vitæ pudendum foret, quod niſi Cenſorea Præceptorum admonitione corrigeretur. Nulla ætatis eſt rimula, aut fiſſura, quam non perſpicere morum ille Cenſor debet. Domi, foris de ſuo grege ſollicitus, dies noctéſque in perenni cura, nunquam animo ſecurus. Quàm tu præclarè, mi Magiſter, de commiſſa tibi pube palmam meruiſti! Qui in teneræ ætatis prima Educatione feliciter ſequuturæ Virtutis fundamentum ponis. Illa, quaſi Parens nobis altera, quæ incompoſitos animorum motus in rectæ rationis viam deducit, quæ adgenita nequitiæ ſemina, antequam maturè adoleverint, in prima ſua herba ſuffocat, exſtinguit. Quæ ſola multarum rerum defectum & noſtræ Naturæ debilitatem, ad ſui generis perfectionem attollimus, promovemus.* b Educatio rudibus Puerorum animis omnem facilè formam inducit: quam

a *Educatio.* b Parens meus p.m. Th: Ing: Hum: Lib: 2: cap: 1.

facerem. In quo uno Veſtræ civitatis ſalus, univerſa Reip. felicitas, ut in ſuo cardine & fundamento, ſtabilitur. Quod dum facere inſtituo, & nunc Scholaſticæ Inſtitutionis longum iter ingredior, hoc Vos oro rogoque Magnifici, Ampliſſimi DOMINI, *aures mihi veſtras benevolè præbeatis, ut Oratio mea benignæ attentionis afflata Zephyro portum facilius nanciſcatur.*

* *Bonum Factum!* IVDICES; *ac laudabile Maiorum Inſtitutum: quod in Illuſtri* ALCMARIA *Civitate, Publicam Bonarum Artium Virtutiſque Officinam erexerint. In quâ Sui & Poſterorum Liberi præclara Studiorum laude inſtructi & inſtituti, ad Spem feliciter gubernandæ Reip. alerentur. Quo uno nihil ſanè ad ſuos Nepotes in omnem vitam pulchrius conferre potuerunt, ad Publicæ Salutis cuſtodiam nihil utilius, ad ſervandam Religionis puritatem nihil melius, ad magni Numinis amplificationem & gloriam nihil unquam laudabilius magiſque neceſſarium.* Neque enim aliud Scholæ ſunt, quàm Officinæ Sapientiæ, Domicilia honeſtatis, Seminaria Reip. Διδασκαλεῖα λογικῶν, καὶ θεογνωσίας παιδευτήρια. (D. Baſilius.) *Quod inprimis in hoc laudabili Gymnaſio ſumma ſemper ope diligentiaque inde à longi temporis intervallo in hodiernum uſque obſervatum. Cui de Præſtantiſſimis proſpiciendo Magiſtris, nullis unquam ſumptibus, aut itinerum moleſtiis Clariſſimi Magiſtratus deterriti fuerunt. In alias provincias, longè à patria diſceſſerunt, ut jacenti Scholæ ſupplementum ſcriberent, & florem optimorum Virorum eligerent, quos ſuis Liberis ad virtutis & doctrinæ exemplum præficerent. Neque in illo Zelus & ſedulitas celeberrimi Senatus deſedit. Quoad Docentium authoritatem maximoperè faciebat, Diſcentium animis metum ac reverentiam incuteret, perpetuas ſuæ Iuventuti & Gymnaſio Leges condidére. In quibus, ut civitatis univerſæ ſalus, teſte Ariſtotele, conſiſtit: ſic frænandæ formandæque Iuventutis ratio præcipuè ab illis dependet. Cum apud imbellem turbam & innoxios illos animos tacita legum reverentia plurimum poſſit. Aliæ pleruuque Nationes*

* *Commendatio Alcm. Gymnaſii.*

cum

cum exigua Virtuti pabula ſubminiſtrent, bonis Artibus *ſuum otium invideant, nihil poſterius ad animum & curas admittant, quàm de Re Literaria bene mereri.* VOS, Ampliſſimi Viri, *de* Literis *&* Literatorum *præmiis, etſi in mediis Bellorum incendiis, ſummâ cum laude curam & cogitationem ſuſcipitis. Nunquam ad publicum ærarium ita avarè attenti aut in re nummariâ ſic difficiles, quin parata Virtuti merces, & benemerentibus abundè ſua ſuppetant præmia, ſolatia. Tunc optimè locatam cenſetis operam, quando tenellis Puerorum animis religioſa adhibetur Educatio. Quod non immeritò dixerim de ſingulorum Civium in* Literas *amore, quo ſui Senatus ſententiam de juvandis Muſarum rebus unanimi conſenſu probant, amplectuntur. Qui nihil cum ſuâ ipſorum ſalute rectius convenire arbitrati, quàm ætatis illud lubricum, quàm* Liberorum *ſuorum vitam ab optimis Ingeniorum* Magiſtris *ad decentem Virtutis habitum componi. Scilicet,* * πήγη καὶ ῥίζα τῆς καλοκαγαθίας ἐστὶ τὸ νομίμου παιδείας τυχεῖν. *Quamobrem nihil mirum, Præſtantiſſimi Ingenii Viros hoc tam clemente ac benigno* Literarum *aëre oriundos: qui & anteacto & præſenti adhuc ſæculo æternam gloriæ ſuæ famam tranſcribunt. Ex hac illuſtri* ALCMARIENSIVM *Civitate, illa* Illuſtris NANNIORVM, NIEVBVRGIORVM, *Nobiliſſima* TEYLINGIORVM; *Inclyta* FORESTORVM, ac OVDESTEYNIORVM *Familia. Hinc perpetui Mobilis atque Nominis inventor* Drebbelius; *Mechanicarum artium Clariſſimus* Houtmannus; *& ille, quem recente adhuc lugemus vulnere, Mathematum Coryphæus,* Adrianus Metius. *Quorum fama & eruditio cum ipſo ſolis curriculo determinatur. Longa foret tabula, plenaque invidiæ, ſi ſingulorum nomina & Imagines, quibus Civitas noſtra abundè ſcatet, in ſcenam proferrem. Quos inter, Clariſſimos tamen* CORENIOS; *Diſertiſſimos* SNELLIOS, BRVNONES *præterire minimè poſſum, aut debeo, Viros multijuga Eruditione, ſingulari Virtute, ac omni laudum genere cumulatiſſimos. Et ſanè, nulla patria majorem ſibi laudem acquiſivit, quàm ſi illo*

* Plut. de Educat. Liberorum.

Divina-

Divinarum mentium Spiritu immortalem ſuo nomini gloriam reliquerit. Igitur Alexander M. cum Achillis tumulum intueretur, ter felicem exclamavit Adoleſcentem, quod ſuæ Virtutis præconem Homerum inveniſſet. Etiã profectò, Veſtræ Civitati divinitus ac peculiare hoc datum videtur, ut cum ſola vinci regiis armis non potuerit, Clariſſima Ingenia ex illa libera & intacta ſervitio Civitate ederet, quæ terræ, in quâ aërem hauſerant, oblita, ex cæleſtium & Naturæ rerum indagatione, non ſine miraculo præſentis ævi inclareſcerent *. *Et præter illa, Cæli Soliſque temperies, quæ Hominũ animos vario ac difformi calore ſolet diſtinguere, ad recipiendas omnes Muſarum delicias, Veſtræ quoque Urbis Pomærium deſcripſit. Ut vix putem, Poëticum illum Parnaſſum, aut viridantem perpetuò Heliconа, ſua dulcium aquarum ſcaturigine ac amœnitate plus unquam eruditas Dearum animas affeciſſe. Supra omnes Alcinoos, ſupra Adonidum hortos, ſupra Pompeianas ac Salluſtianas ambulationes, Flora ſe veſtra exerit.*

[a] Nec Latium præfer Bajas; aut Theſſala Tempe
Græcia, nec campos Brixia terra tuos.

[b] Manè ſurrexiſti? ad Muſicam, & circumſonant te, & velut ſalutant Chori illi alitum, ſuaviter fritillantium, trutilantium, ad quod non æquiparent ſe tibiæ, cytharæ, aut ex arte ulli cantus. In hortum proſpexiſti? Oculorum aciem perſtringet tibi illâ ipsâ nocte exortum agmen florum. In pratum? occurrent Vere novo arbores odorâ quadam & canâ nive perſperſæ. Inſitiones mirabere & matrimonia, adulteria & ſuppoſitos fœtus, inſcia matre nec invita. *Quod de ſuo olim agro Themiſtocles per Præconem proclamari juſſit, hoc meritò de veſtra Ego Civitate dixerim:* γείτονα χρηςον ἔχει. *Quid enim magis Muſarum habitacula commendet, quàm illa ſylvarum vicina amœnitas, tot circumjacentiũ agrorum fœcunda ubertas? ubi unquam fatigatum ſtudiis animum & intentas cerebri cogitationes, ſive negotiorum undis compreſſum*

* P. Vinſemius in Epiſt. Funeb. Metiana. a Caſp. Barlæus de Alcmaria. b Lipſ. 1. Cent. Epiſt. 8.

ſpiritum

ſpiritum reficies melius feliciuſve, quàm ſub illo frondeo ſimulacro, ſub opaca nitidiſſimarum arborum corona? Quàm præclare, Auditores, de Muſarum otio Veſtri Majores ſunt meriti! Qui ſub jucunda Cæli plaga, ſub tam benigna Naturæ Zonâ Liberalium Ingeniorum meditationi hoc dignum & laudabile Virtutis Theatrum aperiverunt. Utinam modò! poſterior ætas, & ab illo fonte deducta in hoc ſæculum progenies eâdem adhuc Virtutis flammâ incaleſcat; ne quid avi degenerantis macula, aut infelix temporum injuria priſco illi decoro detraxerit.

* *Sed longùm me nimis Fortunata morantur Nemora, Sedeſque beatæ. Revocat promiſſa materies; Et poſt læta utriuſque luminis ſpectacula, tempus eſt in ſcholam reverti: ut, quod principiò pollicitus fui, animos & aures veſtras illi utili ac neceſſariæ Formandæ Iuventutis Imagine demulceam atque oblectem. Si ulla Reſp.* Iudices, *ſarta tectaque ſubſiſtere debeat, principe loco curanda eſt Iuventutis recta Inſtitutio. Quæ ſi languida & parum bonæ fidei, vah! quàm turpe noſtris majoribus ludibrium debemus. Etenim à prima puerilis infantiæ nutritione, omnia in humanam ſociotatem bona promanant. Nec citius in ruinam ipſa Imperiorum poteſtas adduci poteſt, quàm ſi liberaliter educandæ Iuventutis tollantur Gymnaſia. Dicite, amabo, quid à belluinâ feritate, à barbarorum ignominioſa cæcitate, ab exotica Gentis profanitate differemus, ſi divina Præceptorum ſileat Oratio? Quare primus ille Eloquentiæ Parens* (Cicero): Nullum, *inquit*, majus meliuſve afferre Reip. munus poteris, quam ſi doceas atque erudias Iuventutem, iis præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda atque coercenda ſit. *Quamobrem non de nihilo operam meam collocare videbor, ſi parum Ego attentius Scholaſtici muneris provinciam, quæ præcipuè inter* DOCENTEM & DISCENTEM *verſatur, Vobis hoc Loco demonſtravero.* [a] Scholarum Magiſtri animorum generatione

* *De Officio Præceptoris*, Pars 1. [a] Parens meus p.m. im Th. ing. H::m.

Deum

Deum æmulantur, pubis formatione Naturam perficiunt, amoris ſtudio parentes æquant, Virtutis ſapientiæq; præceptis Remp. conſervant. Quod ut præſtent, ô Herculeæ Virtutis animoſa pectora! *Illud cum obire Dionyſius non poſſet, Diogenes* (Laert.) *pro Cynica ſua mordacitate, tam illum malè* idoneum Puerorum Rectorem, quàm Populi Regem vocavit. *Profecto! divina eſt atq; admirãda adminiſtranda Rei Scholaſtica provincia*; Καὶ πάντων χαλεπώτερον ἐστιν ἄρχειν ψυχῶν (Nilus). *Qua Functio non niſi magno Virorũ delectu, niſi ipſo rerum experimẽto cuiquam concredi debet: Caput lubrica atatis & immorigera Iuventutis Praceptor eſt; à quo omnis Vitiorum labes, tanquam incorrupto ſui ſaculi exẽplo, longiſſimùm abeſſe debet.* **Ut, qui aliis vita morumq; normam praſcribit, à ſe ipſo optimè vivendi regulam deſumat. Cum molli atate negotium habet: ubi praſertim opus egregio in Virtutem Manuductore: qui tenellis ingeniis ſtatim à lacte materno, quemcunque volet, certiſſima Virtutis habitum imprimat.*

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit. *Horat. in Epiſt.*

Abſit à Puerorũ illo grege mali oris & moris Magiſter: qui ſua impuritate plus uno die cõtaminet, quàm integra atate animum innocentem erudiat ac emendet. Fugite illum Protagorã, fugite; nec corrupta pravis artibus Iuventute ſibi gloriã cum flagitio aucupetur. Sunt illa benefica Natura prodiga, καὶ ἀγριωτέροισι θηρσὶν ἐοικότες: *qui alieno malo tanquã ſuo ſanguine & ſucco victitant. Melior verò illa* Æſchinis *ſentẽtia:* Διδασκάλοις σώφροσι καὶ φιλοπόνοις παρακαταδιδώμεθα τοὺς ἡμετέρους αὐτῶν παῖδας. *In illorum, inquit, cuſtodiam Liberi noſtri committendi, quorum vita & Virtus aliis Cynoſura atq; exemplum fiat. Non aliter* Theophylactus *ſtatuit: qui Praceptorem illis Virtutibus vult praditum, quas ipſe poſtmodum à ſuis Diſcipulis ſit exacturus. Quod ſi parum ſtudioſe ac diligenter in Rep. obſervetur, quam Vos, ô Cives, infeliciſſimam morum barbariem, cum priſcis mundi tenebris, propediem habituri.* Nihil, *credite, pernicioſius;*

* *Damnum mali Praceptoris.*

nihil

nihil cum majore detrimento in hominum ſocietatem profluere, quàm ſi prima Iuvẽtutis ſeminaria ex malè regentium contubernio, tanquam veneno aliquo inficiantur. Scivit hoc optimè peſſimus Iulianus *. *qui ut facilius Chriſtiani nominis memoriam deleret, Præceptorum illis uſu atque exercitio interdixit. Fecerunt hoc* Mitylenenſes †. *qui, cum acerbiſſimis hominem ſuppliciis damnarent, morum illis Diſciplinam ademerunt. Sic monſtra illa humani generis* Licinus *&* Caracall †; *ita olim* Cretenſes, §. *qui cum peſſimè alicui vellent, malorum illi hominum ſocietatem imprecabãtur. Quid ni Naturæ lex eſt: Quicunque in alium imperium voles, ac inprimis imperitæ multitudini præeſſe, aliis tuæ virtutis facem præferas oportet. Cum nulla res ita pernicioſa Diſcipulo, ſicut vita Magiſtri contumelioſa. Præſertim, cum nemo noſtrûm ignoret, præclaræ Inſtitutionis fundamentum in Virtute conſiſtere.* Et quemadmodum Præſtantiſſimi Pictores primùm in tabulis ponunt lineamenta, denique coloribus rem illuſtrant: ſic molles ac mobiles Puerorum animos primùm Virtutis colore formari, quàm Literarum pulchritudine ornari debere.* τότε ἀνύει, *dixit Didymus,* διδάσκαλος, καὶ πιστεύεται λέγων, ὅταν ἀφ᾽ ὧν πράττει, παιδεύῃ. *Et quis alius illorum, quos exantlamus, Laborum finis, quàm* ERVDITA PIETAS? *ut non minus religioſâ Virtute, quam bonarum Artium notitia excellamus. Quem ſi noſtris oculis ſcopum & terminum declinemus, fruſtra eſt, etſi unus omnium Muſarum ſupellectilem ingenio tuo complectaris.*

> Pietas ſac condiat Artes,
> Et primùm ſit noſſe Deum tibi cura Iuventus.

Bonus verò Vir, *inquit Seneca,* ſine Deo nemo eſt. *Comici Sententia*: penes illum omnia adſunt bona, quem penes eſt Virtus. (*Plautus*) *Ex ſacra pagina:* Pietas ad omnia utilis; *& Deo quodcunque opus niti-*

*. Marcell. †. Ælianus. †. Dion. Nic. §. Val:Max: **Inſtitutionis Fundamentum in Virtute:*

tur,

tur: æternum ac durabile: cætera omnia fluxa caduca ſunt, Vanitatum ipſa vanitas. (*Seneca.*) Quid in Homine ad rem pertinet, quanti fœnoret, à quàm multis ſalutetur, quàm pellucido poculo bibat, ſi non *cæteris fortunæ blandimentis Pietatem; ſi non Doctrinarum illi majeſtati Virtutis quoque dignitatem ac gloriam conjungat? Præclara Virtutum facinora, ſicut anima, immortalia ſunt.* Hæc ſolida armatura, *ait Antiſthenes*, quæ detrahi non poteſt, *nec unquam ad virtutem ſibi deficit, nec ulla re opus habet, niſi robore Socratico.* Virtutem in Templo invenies, in Foro, in Curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, calloſas habentem manus. (*Sen.*) *Cujus etſi tenera ſint principia, à tempore duramentum & robur acquirit. Huic vera laus debetur, ſola beatum, honoratum, nobilem facit; una temporum injurias neſcit, fortunæ aſſultum ridet; in ſecundis, in adverſis non colorem, non animum mutat,*

Etſi totus illabatur Orbis
    Impavidam ferient ruinæ. *Horat.*

a *Hoc primum veræ laudis Theatrum: quod generoſæ Iuventutis Moderatorem ſine tædio, ſine faſtidio ingredi oportet. In quo Diſcipulorum chara ſibi Pectora, ad glorioſæ Virtutis palmam, quâ poſſit induſtria, ſtrenuò exerceat. Neque tamen ſola Virtus, etſi primarium facilè locum teneat, illud arduum Magiſtri munus plenè perficit ac tuetur. Comitari illam velut Ducem debet multarum rerum Scientia; ſi ad famam boni nominis & uſum juventutis ſeriò quis attendat. Neque in alium transfundere quid poteſt, aut de ſuo quicquam ingenio ad Diſcipulorum aures referre, ſi non ipſe à varia Eruditione, quam aliis tradendam ſuſcepit, pulcherrimè ſiat inſtructus* b. *Quamvis non ita facilè in hanc partem providi Magiſtratus errorem committant: qui alienam eruditionem, aut ex ſcriptorum fama, aut conſultis ſuorum judiciis,*

a *Requiritur in Præceptore Scientia & aptitudo Docendo.* b *Non temerè vocandi præceptores ad munus Scholaſticum.*

ante-

antequam periculoſæ vocationis diſcrimen adeant, examinare prius ac ponderare poſſunt. Illud tamen ſæpenumerò ignorare ſolemus, quorundam præclara Ingenia an ad promendam eruditionem, ad inſtruendum aliorum animos ſatis idonea ac aptè nata videantur. Illa ut in abditis naturæ ſeceſſibus ſæpiſſimè latent: ſic niſi judicioſa contemplatione in medium protrahuntur. Multi divino valent ingenio, variamque intus eruditionem ſapiunt, cum tamen ad docendum planè inepti & natura inhabiles. Omnia ſuo ſupercilio videntur complecti, nihil in aliqua arte ignorare. Quos ubi in opere ad praxin inveneris, & ſua ingenia paullũ excutere, vix ſui illos ſimiles invenies. Nihil in converſatione oſtendunt humanitatis, in correctione patientiæ, in diſciplina moderationis, judicii. Multa perperam, præpoſterè ſuis Tyronibus inculcant, ſine lege, ſine methodo quodcunque pertractant. O miſeram juventutem! quæ ab ejuſmodi Literarum Magiſtris vitæ modum capeſſis; quæ ad illorum nutum & arbitria omnem ætatis ſtorem conteris ac conſumis. Hoc ſolidum Naturæ beneficium, ad cujuſcunque Ingenii mores aptè decenterque ſe componere; ſingulorum indolem non ex cæco mentis impetu, ſed ex æquo atque recto diſcernere ac dignoſcere. Quo uno in Scholaſtica functione nihil in homine præclarius, nihil adeò neceſſarium.

Ille ſapit ſolus, reliqui volitant velut umbræ.

Modò cum divino, ſubtili, aut mediocri ingenio converſaberis; nunc cum humili, tardo, tortuoſo; nunc cum obſtinato ac refractario; cum horrido & inculto. Ad omnem quaſi auram hic ſapere oportet, qui ſemel Literariũ illud æquor eſt invectus. Non adeò in diverſos hominum morbos incidit Medicus; non Luna tam varios colores aſſumit; non Cælum tam diſpares motus ac tempeſtatem admittit: quàm illa Ingeniorum ratio multifariam in humano pectore ſe oſtendit. In quo negotio qui verſaris, cave in alteram partem ne quid nimis. ὁμοίως ἐςὶ κακὸν, καὶ ἄνεσις ἀσωφρόνιςος, καὶ κατάγνωσις ἀσυγχώρητος. (Nazianz.) Quæ in pravum induruc-

e Parens p.m. in Th. Ing. Humani.

runt,

runt, facilius corrumpas quàm corrigas. (Quintil.) *Dura & immitis ſeveritas animorum alacritatem frangit.* Enervis & delicata indulgentia, remiſſo cupiditatum fræno, ad peccandum licentiam permittit. Detur ætati parva innoxiè laſciviendi venia.

Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium ſua ſponte rectè facere, quàm alieno metu. *(Terent.)*

——Peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandataque fortius urget
Imperioſa quies. (*Lucanus.*) *Et alibi,*
Ingenia melius recta ſe in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta Libertas alit.
(*Sen. Poët.*)

Quod egregiè noſtro ævo Eraſmus: Haud ſcio, *inquit*, an quicquam diſcitur feliciùs, quàm quod ludendo diſcitur.

a *Agite Vos*, Amantiſſimi Collegæ, *& ad rectè informandam Civium noſtrorum Iuventutem omnes Ingenii nervos, vires virtuteſque mecum conferte. De cujuſq́ indole & ingenio prudenter deſpicite; de latentibus naturæ notis fideliter providete: & ad animorum nativam vim, ad intus detruſos animi ſenſus Vos quàm maximè idoneos componite, conformate. Ineſcare enim diſcipulos qui neſcit, nunquam rem faciet. In imbelli ſumus militia, nunc cum mollibus, cum mobilibus; mox cum duris, refractariis puerorum ingeniis fortiter colluctandum.* Nequid temerè aut inconſultò hîc fiat, mirâ prudentia, multa patientia eſt opus:

Dum faciles animi Iuvenum, dum mobilis ætas. (*Virgilius.*)

Aliqui laudum duci ſtimulis malunt, quàm ſuppliciorum metu coërceri. Illos vix frænis & repagulis retinere queas. Hi ſponte, iſti alieno imperio & calcaribus aſellorum inſtar, urgeri volunt. Præceptor bonam indolem erexit, modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus diſcuſſit deſidiam, ingenium pigrum

a *Hortatio ad Cognoſcendam indolem.*

Digitized by Google

grum & latens, injecta, ut ſic dicam, manu extraxit(Seneca). *Hac ſi ſingula quis facere poſſit, divinum illum quis neget? ille* (Perſius.)

Rara avis in terris, nigroq; ſimillima Cycno.

Tum demum multò magis, cum liberali vultu atque animo tantæ difficultatis provinciam ſuſtinet, cum ſumma diligentia, abſque aliqua bile & ſalſugine, illum Orbicularem Siſyphi lapidem perpetuò volvit, ac revolvit. Quando nulla in docendo moroſitas illum abripit, nulla difficultatis latebra impedit ac moratur.

Qui premere, & laxas norit dare cautus habenas. (*Virgilius.*)

Is etiam eſt Honos Homini pudico meminiſſe officium ſuum. Et nimis homo nihili eſt, qui piger: nimiſque genus ego id odi male. (*Plaut.*) ὁμῶς αἴδαο πύλῃσι.

a *Quàm propè infinita.* AVD. *in Bonarum Artium Magiſtro Virtutum præcepta requiritis! Non minus, in quot animi vitia prona præcepſque Iuventus incurrit, tot quoque numero optimis illum remediis inſtructum eſſe vultis: quibus ægris & corruptis aliorum mentibus medicinam affundat. Ne quod teneræ ætati contagium ſubitò adhæreſcit, in nervum & conſuetudinem obduret. Cæteroquin univerſæ vitæ pudendum foret, quod niſi Cenſoreâ Præceptorum admonitione corrigeretur. Nulla ætatis eſt rimula, aut fiſſura, quam non perſpicere morum ille Cenſor debet. Domi, foris de ſuo grege ſollicitus, dies noctéſque in perenni cura, nunquam animo ſecurus. Quàm tu præclarè, mi Magiſter, de commiſſa tibi pube palmam meruiſti! Qui in teneræ ætatis prima Educatione feliciter ſequuturæ Virtutis fundamentum ponis. Illa, quaſi Parens nobis altera, quæ incompoſitos animorum motus in rectæ rationis viam deducit, quæ adgenita nequitiæ ſemina, antequam maturè adoleverint, in prima ſua herba ſuffocat, exſtinguit. Quæ ſola multarum rerum defectum & noſtræ Naturæ debilitatem, ad ſui generis perfectionem attollimus, promovemus.* b Educatio rudibus Puerorum animis omnem facilè formam inducit: quam

a *Educatio.* b Parens meus p.m. Th: Ing: Hum: Lib: 2: cap: 1.

nulla poſteri temporis ætas obliteret, expungat. Semel impreſſam herbeſcenti Pueritiæ imaginem fruſtra tentes exſtinguere, primæ manus ductu ac lineamentis ſemper refulgentibus. *Eſt profectò!* κεφάλαιον ὀρθῆς παιδείας ὀρθὴ τροφὴ, (Plato.) *teneræ juventutis ſalus & fundamentum. Quod in ſe ipſo facilè agnovit* Themiſtocles, *qui mirantibus in melius mutatos mores, dicebat*: (Plut.in Themiſt.) Neſcitis, aſperos & indomitos pullos in optimos equos evadere, ſi quis illis rectam adhibeat diſciplinam? *Faſſus hoc idem de ſe* Socrates, [c] *quod ſolis Philoſophiæ præceptis nativas naturæ ſordes abſterſerit. Non ignoravit* Ariſtoteles, *qui Virtutis cuſtodiam in recta Educatione poſuit. Qua de cauſa in* [d] Thuriorum *erat inſtituto, ut publica ſuis Liberis impenſa Doctiſſimos Magiſtros præficerent. Sic* Indi *&* Brachmanes, *qui recenter in lucem editis infantibus vitæ Curatorem apponebant.* (Strabo.) *Quam cum* Romani *in ſuis Liberis neceſſitatem animadverterent: nulli cæterorum inſolens verbum dicere, nec factum indecorum præſtare, impunè fuit. Hic meritò* Crates *aliquis exclamet*: (Plutarch.) Quorſum ruitis Cives, qui omne ſtudium in pecuniis collocatis, Liberorum veſtrorum curam negligitis? *Dic, qualis ille, quem olim claro die cum lucerna in foro quærebat* Cynicus? *Hominem rectis inſtitutum & imbutum moribus. Atque ideo* [e] Megarenſium ſe dici arietem, quam illorum Filium maluit: *quod Liberorum inſtitutionem negligerent.* ὅτι χαλεπὸν συνήθειαν μακρὰν ἰάσασθαι (Philo.) Nulla enim res magis animos honeſtos & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum Converſatio. Paulatim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter adſpici, frequenter audiri. (Seneca.) *Videmus Nautas & Agricolas ſolis perpetui radiis colorari, unguentarias tabernas odorem loci circumferre: Sic diuturna cum aliis Converſatio, naturæ quoque habitum immutat. Igitur eleganter Græcus ille:*

c Cicero. d Diod. Sic. e Ælianus.

Σοφοῖς

Σοφοῖς ὁμιλῶν κᾀυτὸς ἐκβήζῃ σοφὸς,
Κακοῖς ὁμιλῶν κᾀυτὸς ἐκβήζῃ κακός. (Men.)

f Adſpice quid faciant Commercia, (Iuven.) *Adoleſcens.* Vnum exemplum libidinis aut luxuriæ multum mali facit. Convictus delicatus paulatim enervat ac emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat. Malignus comes, quamvis candido & ſimplici rubiginē ſuam affricuit. Recede in te ipſum quantum potes, & cum his converſare, qui te meliorem facturi. (Seneca.) *Quid mirum?* Platonem *ab Ægyptiis Sacerdotibus*; Pythagoram *à Iudæis ac Perſis*; Ariſtotelem *à Socrate*; Philippum Macedonem *ab Epaminonda & Pelopida plurimum ad Doctrinam profeciſſe. Imitare, Adoleſcens, imitare, & quantum vires tibi permittunt, perge callem illum rectum. Macte, gradum ne ponas ſine memoria Virtutis.*

g *Sed, quem video,* IVDICES *in illa Præceptorum inſtitutione, in media quaſi via hic ſcopulum? Tuum, male Magiſter, nomen, hic vapulat: Qui in tanta Scriptorum varietate & vaſtitate, non tutum ſatis iter lubricæ ætatis ingeniis præmonſtras. In illo præ cæteris cura judicioque eſt opus, ut cæcam Iuventutem, quantum fieri poſſit, ad ſolùm utilia & per omnem ætatem profutura tanquam manu veſtra ducatis: ne toties per immenſum Literarū jactata pelagus, in Syrtes & Charybdes abripiatur.* Nam, ubi ſemel ſe animus cupiditate devinxit mala, neceſſe eſt conſilia conſequi conſimilia. (Terent.) *Cum nihil magis vitio eſſe poſſit ſtudioſæ juventuti, quàm ſine ordine, ſine bono delectu in veterum Scriptorum monumentis verſari. Igitur ut ætatum certi ſunt gradus ac intervalla: Sic Authorum illa lectio, pro ſingulorum captu & judicio eſt attemperanda.* Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo feliciter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant; ſed omnia

f *Converſatio.* g *Utilia docenda.*

curſim & properantes tranſmittunt. (Sen.) *Florem elige principum Virorum, Adoleſcens, quos in ſuccum & ſanguinem convertas, quorum interno Doctrinæ colore ſic animum tuum imbuas, ut quod longo rerum uſu ac conſuetudine didiceris, prorſus in naturam vertatur. Hic tibi eſt opus Ariadnes filo, quo tuus ille Theſeus Magiſter ex errorum Labyrintho te explicet, exſolvat. Per cujus veſtigia & primos ductus tu recta Literarium illum portum ingrediare.* [h] *Non hic Veſtram,* Ampliſſimi DOMINI, *præterire laudem & induſtriam poſſum: qui publico Gymnaſii veſtri Decreto, tanquam digito præmonſtraſtis, qui potiſſimùm, ad rectè informandam Iuventutem, Authores optimè conducant. Qui ſingulis in ſuo Auditorio labor incumbat, quo ordine priſci Scriptores legendi ac ſeligendi.* περιεργάζεσθαι, καὶ τὰ πολλὰ πράσσειν, οὐκ ἐν ἀσφαλεῖ βίῳ. *Non dicam de* Octava, *de* Septima, *Claſſe; quæ altioribus diſciplinis ſuum fundamentum ac rudimentum ſubminiſtrant, bona divinaque methodo inſtructis.* Nihil de Sexta, de Quinta hic loquar: *in quibus adhuc rudia ac tenuia Puerorum veſtigia per illos illuſtres Authorum campos, jam à teneris quaſi ſerpere & ſapere incipiunt.* [i] *Ex Quarta nemo in Tertiam aſcendit ac promovetur, niſi publici examinis rigorem ſumma cum laude ſuſtinuerit; niſi Salluſtianam, Terentianam dictionem probè perdidicerit; in Virgilianis, in Plautinis elegantiis aliquid dignum legerit, obſervaverit; aliquid Plutarchi, aut Iſocratis, ex Græcorum fontibus, delibaverit. Abſit, in Tertiam, ad* Rectorem, *adſpirare quis audeat, niſi in utroque dicendi genere, in ligata ac ſoluta Oratione ſtylum mediocriter formaverit. Ubi illos per tot Claſſium ſeriem, difficiles laborum ſcopulos ſtudioſa Iuventus enavigavit, inde in apertum Eloquentiæ ac Literarum campum iter patet. Quicquid diſertiſſimorum Rhetorum, Logicorum arculæ & ingenia poſſint, huc pleno quaſi Circo, in medium, ſi potes, profer. Hic Poëta, hic Hiſtoricus, Latino-Græcus vocem pandit: ut eruditis tum Fabularum, tum Antiquitatum materiis noſtri ſæculi ſegnitiem ac*

h *Ordo Claſsium In Sch. Alcmariana:* i *Rectoris penſum in benè conſtituta Schola.*

ſocor-

ſocordiam, ad aliquam æmulationis laudem, provoces, prorites. Quibus ſanè ſtudiis ingenuo Homini nihil dulcius, nihil delectabilius eſſe poteſt. Καθάπερ ἐςὶ φυλακτικὸν σώματος ὑγεία, οὕτω τῆς ψυχῆς φυλακτικὸν καθέςηκε παιδεία. (Ariſtot.) *Et quod olim de Amore Flaccus, Ego de Principe Eloquentiæ Facultatis ſtudio exclamem:*

Quæ Saga, quis me ſolvere Theſſalus
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum me triformi
Pegaſus expediet Chimeræ. (*Horat.*)

[k] *Tandem ad Vos, Nobiliſſimi Adoleſcentes, Oratio mea proficiſcitur.*

Nunc age claviculo rigidum ſuſpende Magiſtrum.

Ut qua in tabula Divini Præceptoris perſonam hic delineavi: ſic veſtrum quoque munus & officium viva vobis imagine repræſentem. Niſi me auſcultas, *Adoleſcens,* atque hoc, ut dico, facis, tute pone te latebis facile, ne inveniat te Honor: in occulto jacebis, cum te maximè clarum voles. (Plautus.) *Antidoto eſt opus, quo contra Vitiorum contagia, contra tot ſæculi noſtri morbos animum obfirmes ac præſerves.* [l] *Quocunque oculos ac aurem intendis, pura monſtra putamque peſtem incurres: unde exitialis ad te pernicies, ſi non egregia tuum pectus præmunias ſapientia. Ante omnia Virtuti te involve, uni firmiſſimo vitæ Humanæ præſidio: cujus ſeptemplice ſi clypeo probè armatus ac amictus fueris, non eſt, quod ullam Vitiorum tempeſtatem vereare.*

Virtus eſt, Vitium fugere; & Sapientia prima,
Stultitia caruiſſe. (*Horat.*)

Hæc una cæteris Fortunæ Spoliis potentior, externa omnia ridet ac deſpicit. Hæc rerum tuarum fulcrum & fundamentum fac ſiat, quæ altiſſimis defixa radicibus nulla vi labefactari, nunquam loco dimoveri poteſt. (Cic.) ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, *dixit Ethnicus* (Arat.) *tu in illo ſolidam felicitatis tuæ anchoram pone: cui columnæ quodcunque ſtudiorum ſuperſtruxeris, nulli un-*

k *De Officio Diſcipulorum.* Pars II. l *Virtuti ſtudendum.*

quam temporum injuriæ ludibrium debebit. Cum illa rerum humanarum Regina Virtute, bonarum Artium conjungi debet Majeſtas: quæ tum demum perfecta omnibus gloriæ ſuæ lineamentis. [m] *Quâ ut optimè exornare te poſſis, & ad ſolidam Doctrinæ laudem graſſari, ex Oraculo, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς eſt opus.* (Zeno.) Vigilando, agendo, benè conſulendo proſperè omnia cedunt. (Salluſt.) *Et cum* Laconibus *admota manu Fortunæ imploranda eſt: Quæ, ſi induſtriam & laborem remiſeris, propitium à te vultum avertet.* (Plaut.) Capeſſis Virtutem animo, & corde expelle deſidiam tuo. (Terent.) Neque ulla res tam facilis, quin difficilis fiat, quam invitus facias. *Nec quicquam eſt, tam aut factu difficile, aut explicatu dubium, aut cogitatu arduum, quod non ſtudii pertinacia & laboris aſſiduitate ſubigi & expugnari poſſit.* [n] Montes excelſos vides? complanantur. Flumina profunda? exhauriuntur. Arbores altas? exſtirpantur. Sic Helleſpontum Xerxes contabulavit, & Athon montem, effoſſa tellure, pervium navibus fecit. Sic Alexander Magnus Tyron inſulam, injectis mari clauſtris cõtinenti junxit. Sic Roma urbs, ſumpto à paſtorali casâ initio, in immenſum excrevit & orbis terrarũ imperium nacta eſt. Tu verò de explicanda rerum verborumve obſcuritate, de percipienda tortuoſæ præceptionis ſcientia, de evincenda ſtudiorum difficultate & moleſtia deſperares? Virtute ſuperanda omnis eſt difficultas, labore evincenda moleſtia, ſtudio atque aſſiduitate operis ardua quæque ſubmittenda ſunt. Etſi unus dies, *Adoleſcens,* Hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longiſſima ætas, (Sen.) *quid in alto vos otio ſtertitis? ἡ παιδεία τοῖς μὲν νέοις σωφροσύνη, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις παραμυθία, τοῖς δὲ πένησι πλοῦτος, τοῖς δὲ πλουσίοις κόσμος* (Plutarch.) *Vos, ut in poſſeſſionem tanti theſauri veniatis, nullo unquam labore animos veſtros frangeretis? Quod Doctrinæ pretium cum non igno-*

m *Diligentiæ eſt opus & labore.* n Parens meus p.m. in Gymnaſio Eloq. nondum edito.

raret

raret Demoſthenes, (Cælius.) *raſo capite in ſubterraneas cavernas conceſſit, ut rectius Philoſophiæ vacaret* (Valer.). Democritus ille Abderites, *qui, ut melius animi oculis uteretur, objecto luminibus lebete, ſe ipſum excæcavit. Fame intermortuus fuiſſet* Carneades, *niſi uxor Meliſſa Viro profundum meditanti cibum in os ingeſſiſſet. Hauriendis de nocte aquis* Cleanthes *ſe exercuit, ut de die Philoſophorum inſtitutione frueretur* (Valerius.) Antiſthenes *adeò Literarum voluptate exarſit, ut relictis, quos habebat domi, Diſcipulis, in Socratis ſe diſciplinam conferret.* (Laert.) *Non minore deprædicandus laude* Diogenes, *quem non aſpera objurgationum verba, quem non intentata fuſtium verbera ab Antiſthene removerunt.* (Ælianus.) *Non dicam hoc loco, Clariſſimos ab omni ævo Imperatores,* Scipionem, Pompeium, Cæſarem, Alexandrum, *qui in armis & literis unicum animi ſui ſolatium poſuerunt. Pudeat, Adoleſcens, niſi ſummo induſtriæ conatu Literarium illum pulverem ingrediare.* τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει. (Chryſoſt.) *Age omnem torporem, laſſitudinem, ſocordiam à te abigas;* ὅτι πλείων ὁ πόνος ἐκεῖ μείζων ἡ ἡδονή. Et Homine imperito nunquam quicquam injuſtius; (Terent.) *nihil turpius, fœdius, infelicius, poſt conditam rerum naturam, Sol adſpexit. Quare* Socrates *hominem indoctum onus terræ graviſſimum &* aureum mancipium *nominavit.* Ariſtippus, *ſatius eſſe inquit, mendicum fieri, quàm indoctum.* (Eraſmus.) *Pulcherrimum verò animal, quod terra parens in lucem ederet,* Homo eſt, *inquit ſapientiſſimus Socrates,* Doctrina excultus. [a] *Hæc tam divina vox, Adoleſcens, animum tuum inflammet; hæc Virtutum ſtimulos, & ad multa præclarè audendum, aculeos ſubminiſtret, ut* otium & deſidiam, vivi hominis ſepulturam, *magno ſemper animo deteſtere.* (Seneca.)

Ignaris, improbis Viris verbera, compedes, molæ, magna Laſſitudo, Fames, frigusque durum: Hęc pretia ſunt Ignaviæ. (*Plautus.*)

e *Cavendum ab otio.*

Hæc mihi adventu ſuo grandinem imbremque attulit:
Hæc verecundiam & Virtutis modum
Deturbavit. Nunc ſimul Res, Fama, Virtus
Decuſque deſeruerunt. *(Plautus)*

b *Quod humani generis dedecus, Ignaviam, ut priſci Rerump. Gubernatores ab hominum conſortio averterent, illam Legibus ſuppliciiſque conſtrinxerunt. Inter quos primò mihi occurrunt* Ægyptii, (Herod. lib. 2.) *qui certam ſuis civibus artem indixerunt, ut in opere aliquo ſemper intenti, nunquam deſidia corrumperentur. Quibus aſperior Athenienſium* Draco, *qui ignavia convictos ultimo capitis ſupplicio affecit.* (Cæl. lib. 11. c. 3.) *Mitiore lege* Sardi, *qui unumquemque ad vitæ victuſque reddendam rationem cogebant.* (Ælian. lib. 4.) Romani *verò, ut ſuum Odium in Otium egregio facinore conteſtarentur, Vacunæ templum extra urbem trans Tyberim conſecrarunt, ut illam ingenii Virtutiſque peſtem ſuæ civitatis finibus exterminarent.* (Plin. lib. 3. c. 12.) *Atque ut Peſtilentis Ignaviæ Otiique fugam Vobis indicimus: Sic etiam à turpi aliorum Vitiorum ergaſtulo. Vos ad pura Virtutis templum vocamus, invitamus.*

c Per Pietatem! nolo ego cum improbis te Viris
Gnate mi. Neque in via, neque in foro ullum ſermonem exequi:
Novi ego ſæculum moribus quibus ſit. Malus Bonum, Malum
Eſſe vult, ut ſit ſui ſimilis: turbant, miſcent Mores mali, rapax,
Avarus, invidus, Sacrum, Profanum, publicum, privatum habet.
Hiulca gens! Hæc ego doleo; hæc ſunt, quæ me excruciant.
Hæc dies noctesq; tibi canto, ut caveas. *Plaut.*

Fruſtra, Adoleſcens, in omnes ſe formas vertit Præceptor, oleum & operam in te perdit, ſi non teipſum ad bonam mentem componis. Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris,

b *Ignavia pæna.* c *Et à reliquis Vitiis abſtinendum Iuventuti.*

tibi

Digitized by Google

tibi eidem metes, tibi denique iſte pariet lætitiam labos. Omnes Boni ſibi hæc expetunt, Rem, Fidem, Honorem, Gloriam & Gratiam. Hinç probis pretium eſt. (*Plaut.*) *Oderis profanum vulgus, & illos procul à te arceas, quos prava Libido emollit, quos Voluptas frangit, gula irritat. Ad amicam Muſis Temperantiam, ad Verecundiam, Modeſtiam te accinge. Cum ſimplice Curiorum victu, cum ſobria Milonis menſa, cum Pythagora oleribus, cum Socratis tenui ſalino contentus vive.*

Diſcite, quàm parvo liceat producere vitam,
Et quantum Natura petat. *Lucan.*

Abſit, prava ventris libidine ac voracitate rem ſuam comedere, profundere; in luſtris ac popinis, alea, vino tempus ætatis conſumere. Caveas Intemperantiam, luxuriam, impuritatem. Vide, quantum illi à funere abſunt, qui ad faces & cereos vivunt: Qui in Dionyſiaco agone perpetuo ad palmam currunt. Anima ſicca Sapientiſſima eſt. (Plato.) *Per libidinem corrupto nihil honeſtum ineſt. Cum Ariſtotele contemplare Voluptates non venientes, ſed abeuntes.* Simplici cura conſtant neceſſaria; in delicias laboratur. (Seneca.) *Et magna pars Libertatis, benè moratus venter. Apage hinc Calicum illos remiges, Bicongios, Tiberios, Biberios; qui non ut vivant nati, ſed ut bibant.* Cum his ambulare oportet, cum quibus conſpectus, non mutes colorem [d]. *Id Vos operam date, Adoleſcentes, ut illum veſtræ ætatis florem ſoli Deo ac Sapientiæ ſtudio tribuatis, nihil fallacibus Voluptatum illecebris, aut turpi inde otio mancipetis.* ἐϛὶν δίκης. ὀφθαλμὸς, ὃς τα πάνθ᾽ ὁρᾷ. *Per ſignata Præceptorum veſtigia, per ſalubria parentum monita, per ſudores, labores, ad Honoris ædem conſtanti gradu contendite.* [e] πολυτελέϛατον ἀνάλωμα χρόνος *cogitate.* Malè vivunt, qui ſemper vivere incipiunt, & dum vita differtur, tranſcurrit (*Seneca.*) Is mihi vivere demum, atque anima frui videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. (*Salluſt.*)

d Plut. in Laced. e Plutarch.

f *Non ſanè parvi momenti res, egregiam Doctrinæ famam ſibi comparaſſe, & in tantum ſupra vulgus ſapere.* χαλεπὰ τὰ καλά: *quo non veternus aliquis & molle otium perducit, non ſomnolentia ac ſecuritas; ſed diurnis nocturniſque vigiliis concatenatus labor. Per obſtantes voluptatum catervas, per tot ſaxa & libidinum ſcopulos perrumpere oportet, ut in pulcherrimum Eruditionis Atrium intromittare. Vulcani fabrica eſt opus, in qua multo verbere crebriſque ictibus Minervæ cerebrum contundas, donec divinus inde fœtus, ſapientia, proſiliat. Quam ut feliciter conſequaris, quid te impediat, quid retardet, quominus ad laudem & palmam connitare. Ad ſolidum laborem te confer, ad continuas lucubrationes, ut oculi ſpectando, lumbi ſedendo doleant. Non poſita eſt Eruditio in perpolito pavimento, in pariete, aut contignatione picturata, non in nitentibus umbilicis ac phaleris. Nec ſi Athenis Epicteti lampadem emeris, aut omnium Philoſophorum Bibliothecam tibi comparaveris, quicquam magis ad Doctrinam proficies.* θεοί τ' ἀγαθὰ πόνοις πωλοῦνται. *Et cum* Heſiodo: τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν ἀθάνατοι. *Nunquam magno æſtimamus, quod vili conſtat. Illa juvant, quæ pluris emuntur: quæ ex altero orbe huc portes. Contemnimus, quæ ante pedes poſita. Illa bonarum Artium Eruditio, quæ Prudentiæ ſola mater, Civitatum moderatrix, Legum magiſtra, Regnorum adminiſtra, Fons Veritatis, dic, quæſo, quam laudem ac gloriam mereretur, ſi ad cujuſvis ſe pretium & vota proſtitueret?* g *Si quis verò paullò penitius Literariam illam amœnitatem introſpiciat, ſi omnes Palladis delicias animo ſecum reputet, quid ni ſumma cum alacritate, cito properoque gradu ad bicipitem illum Parnaſſum contendat? Quò ſi læto limite perveneris, indè ex ſummo montis jugo, quaſi æternitatis aliquo udo ac ſidere afflatus, in ipſum profectò Felicitatis, Sapientiæque Meditullium deducère.*

Hîc inter Flumina nota,
Et fontes ſacros frigus captabis opacũ. *Virg.*

Ubi cum Platone & Socrate de animarum immortali-

f *Difficultas Literaria.* g *Amœnitas Literaria.*

tate;

tate; cum Democrito, cum Pythagora de reconditis naturæ miraculis coram diſſeres ac colloquere. Ubi inter cœleſtes Poëtarum numeros, Pindarica tot Plectra, inter tot voces Cygneas & divinos ſpiritus vitam ages. Si hac tibi alubeſcit Voluptas, Adoleſcens, age velis remiſque longum illud Athenas iter mecum ingredere. [h] Si intenderis animum, & perſtiteris in attentionis negotio, crede mihi, labor magna ex parte levabitur. Submittent ſe tibi ardua Parnaſſi juga, aperietur ſuâ ſponte Minervæ Templum. Muſæ ſuis ſedibus effuſæ, advenienti occurrent. Veritas & ſapientia ſuum complexæ Alumnum, patefacto ſinu, reconditos Eruditionis Theſauros offerent.

[i] Adjuti vicêre Deo; Labor omnia vincit:
Omnia cum Precibus fervida cura poteſt.

Nihil eſt, quod non expugnet pertinax Labor, & intenta ac diligens Cura. *Seneca.*

ἤδε δέ μοι κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή.

[k] *Hæc ſunt*, Ampliſs. Magnifici, Reverendi DOMINI: *quæ hoc tempore, de* Scholaſticâ Inſtitutione ac rectè Informanda Iuventute, *dicere conſtitui. Quantum potui, vivis lineamentis* DOCENTEM & DISCENTEM *Veſtris oculis propoſui, ut, Officium utriuſque quod ſiat, Vos etiam in Publico videretis. Quæ ſi à nobis unanimi labore, pari induſtria ac ſtudio exerceantur, quamvis magnam Schola Veſtra ex Temporum injuria nunc maculam contraxerit, hoc propediem futurum ſpero ac confido. Nos antiquum illi decus & gloriam reſtituturos.* (Seneca.) Turpe eſt cedere oneri, & luctari cum officio, quod ſemel incepiſti: Non eſt vir fortis ac ſtrenuus, qui laborem fugit. *Vos inprimis*, DOMINI, *quando Veſtri* GYMNASII *bonam perpetuo curam & cuſtodiam geritis; ſi bonarum Artium ſtudia, illa, quæ par eſt, obſervantia ac reverentia proſequamini, magnorum Regum atque Principum exemplo bene merentium Præceptorum induſtriam in digna ſemper laude ac deprædicatione habeatis.* Bonæ Artes ho-

h Parens p. m. in Gymnaſio Eloq: nondum edito: i Idem in Poematibus ſuis: k *Peroratio*:

nore nutriuntur, atque hoc ſpecimen eſt florentis Reip. quando Diſciplinarum Profeſſoribus opulenta pendantur præmia.(Cic.) *Et Poëta teſte: Ovid.*

Excitat auditor ſtudium, laudataque virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

Quam ſi Literariæ dignitatis tutelam ad paucos recidere patiamini, magnam Poſteritati injuriam, univerſæ Reip. ruinam, orbi terrarum meram noctem & tenebras offunditis. Hoc præſertim tempore, quo

——Mali mores
Quaſi herba irrigua ſuccrêrunt uberrimè: nec quicquam nunc eſt, niſi
Mali Mores: quorum jam licet metere meſſem maximam. *Plaut.*

Et VOS, Prudentiſſimi CIVES, *quando Veſtros Liberos intra domeſticos Parietes, quæ magna Parentum eſt Virtus, ad illuſtris gloriæ perſequendum curriculum dexterrimè cohortemini. Illis Virtutem magnificis verbis imprimatis, Vitiorum illa contagia apud illos, niſi cum aliqua deteſtatione ac ſupercilio nominetis.* Serò dediſcit animus quod didicit diu. (Senec.) *Et à teneris aſſueſcere multum eſt. Mos* Laconum *erat cibi potioniſque menſuram Liberis præficere, illos ſobrio cum æqualibus convictu educare, ne qua rudem animum malignitas inficeret.* (Plutarch.) *Veſtrum eſt,* Optimi CIVES, *maturè providere, ne quid lubrica illa ætas capiat detrimenti;* & deſinat remedio eſſe locus, ubi quæ fuerant vitia, mores ſunt, (Seneca.) *Cavete Ingeniorum illi teneritudini nimium à teneris indulgeatis: qui unus eſt aditus & janua ad omne ſcelus; aut, immodico Liberorum affectu, illos intra proprios complexus & ulnas, Simiarum inſtar, juguletis. Sicuti otioſæ veſtes, cum rarò corpori induuntur, ferè à tineis corroduntur: Sic & Pueri, qui ſi indulgenter nimis habentur, fermè à morbis & internis animi vitiis corrumpuntur.* Plato *ludos & ferias probat, quæ non multum à ſeriis actionibus diſcordant.* Lacon *præceptor, effecturum ſe dicebat,* uti traditus ſibi in diſciplinam puer honeſtis delectetur, turpibus

bus ingemiſcat. (Plut. de vitâ Mor.) *Et præclarè Cicero.* Non minus, *inquit,* Otii quam negotii ratio exſtare debet. *Quo ſenſu olim* Anaxagoras *, qui hoc præ cæteris ſingulari cura præcepit, ut, quo die vita fungeretur, Pueri bonis artibus operam navantes à ſtudiis ferientur, ut continui laboris aſperitatem, dulci aliquo vacationis oblectamento diſpungerent.* Sed nimis nolo Deſidiæ eum locum dare: (Plaut.) *ne, quod honeſta Ingeniorum remiſſioni, fractiſque nimio labore viribus, quadam liberalitate conceſſum, in degenerem licentiam vertatur.*

Me quod attinet: Ζεὺς δὲ ξυνίστωρ, οὐδ᾽ ἐν ἀγρῷ θεοί: faciam,
ὅσσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε καὶ σθένει. Homer.

Et cum Euripede: οὐ παύσομαι τὰς χάριτας ταῖς μούσαις συγκαταμιγνὺς ἡδίσταν συζυγίαν, μὴ ζώην μετ᾽ ἀμουσίας.

Tu Ter Maxime de Cœlo DEVS, quam Spartam & provinciam Divina tua Providentia ſtudiis meis deſtinavit, faxis bona cum corporis valetudine, cum illæſa animi conſcientia, labore impigro, ſtudio indefeſſo Illam nunc feliciter ſuſcipiam, animoſe ſuſtineam, tandemque Fato & penſo meo probè perfunctus, cum laudabili Virtutis trophæo, non inglorius deponam. Totum quoque BELGIVM, Bataviam hanc noſtram, & in illâ, quam incolimus illuſtrem ALCMARIÆ Civitatem, contra vim & Tyrannidem tot hoſtium, Clementiſſime DEVS, protege ac defende. Fas, Fidem, Religionem ab omni labe integram & incorruptam conſerva. Hujus *Ampliſſimi* SENATVS vitam, Valetudinem, Fortunas, Dignitatem contra ſæculi noſtri venena & invidiã, contra Fatorum violentiam, contra temporum injurias provido ſemper oculo adſpice ac tuere; Sub quorũ præſidio atque utinam! Veriverbium ſemper ſiat: Ab ALCMARIA INCIPIT VICTORIA. Fac ô

Digitized by Google

Magne DEVS, Civium noſtrorum otia & quietem nulla animorum diſſenſio diſtrahat aut diſturbet. Domi, foris, cuncta bene, cuncta proſperè ſuccedant. Hoc etiam Dicatum ſemel Bonis Artibus & Virtuti GYMNASIVM perpetuo tuo favore ac gratia, Benigniſſime DEVS, ſoſpita & fortuna. Vt ex illo, tanquam ex uberrima fonte, infiniti redundent Adoleſcentes, qui eximia Virtute & Eruditione inſtructi, in commodum Reip. & Eccleſiæ uſum ac utilitatem luxurient, effloreſcant.

Quod velis faxiſque Salutifer DEVS, propter Filium tuum unicum, DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM: Cui ſit Laus, Honor, Gloria & Gratia in Sæcula Sæculorum.

D I X I.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO TRIUMPHALIS,

De

Liberatâ ab Hiſpanorum Obſidione

ALCMARIA.

CIↃ IↃ. LXXIII. VIII. Octobris.

Habita die Solenni,

In ſupremo Gymnaſii Auditorio

CIↃ IↃCXXXIX. VIII. Oct.

Digitized by Google

Nobiliſsimo, Clariſs. Conſultiſsimoque Viro,

D. D. IOANNI FORESTO, IC.

& Senatori, Mecænati ſuo,

S. P. D.

REINERVS NEVHVSIVS, Rect. Gymnaſii Alcm.

Hagas.

ILluſtris DOMINE, *Meritò tuo Nomini Triumphalem inſcribo Orationem: qui unus apud Batavos, cui hoc officium & affectum inprimis debeo. Nam ſi Genus & Stemma, cum tot ſplendidis Avorum imaginibus intueor, Nobiliſsima eſt* FORESTORVM *Familia, Eruditione, Virtute, Pietate, jam à longo tempore laudabilis. Si in Regenda Rep. dignitatem, munia ac honores; Illa veſtris potiſsimùm humeris atque conſiliis cum gaudio ac felicitate quadam innititur. Adde inſignem Humanitatem: quæ illi, præ cæteris, proſapiæ, peculiari naturæ beneficio inſita agnataque. Hæc mihi calcar & ſtimulum addidêre, Nobiliſs. Vir, quod ſub tuis auſpiciis triumphare apud poſteros velim* ALCMARIAM. *Primus, qui in Oratoriâ arenâ Orationem ac plauſum inſtitui. Niſi, quod è veſtra Familia Cl.* Nannius Foreſtus *egregiè perdoctéq; circa illam obſidionem verſatus; ſed ſilo ſtyloq; Hiſtorico. Accipe, VIR Nobiliſsime, læto animo munuſculum Literarium; quod tanto erit gratius, ſcio, quantò plus ſinceri affectus in Te & Patriam attulerit. Vale, Magne* SENATOR, *& porrò me ama.* Alcmariæ Batt. x. Kal. Novemb. CIↃ IↃCXXXIX.

ORA-

ORATIO. TRIUMPHALIS.

HOdiernus eſt Dies, *Nobiliſsimi, Ampliſsimi, Clariſsimi, Doctiſsimi* DD. AUDITORES, quo Illuſtris Civitas ALCMARIA ex crudeli Hiſpanorum carnificina, ac truculentis erepta manibus, Divino de Cœlis auxiliante Numine, ſe in auream Libertatis ſuæ ſedem & aſylum tam glorioſè quàm fortiter vindicavit. *Hic eſt ille Dies*, quo à Veſtris cervicibus intolerabile ſervitutis jugum rejeciſtis; quo corpora & animas veſtras de hoſtium manibus extorſiſtis; ab uxorum pudicitia adulterum tyrannum, ab ingenua filiarum verecundia impium ſtupratorem depuliſtis, à Liberorum veſtrorum incunabulis communem interitum, & ſtragem univerſæ civium ſalutis, cum bellicæ fortitudinis immortali fama, Herculeo conatu amoviſtis. *Hic eſt ille*, inquam, *dies*, qui majoribus veſtris, tota penè conclamata Republica, Libertatem cum ipſo ſpiritu, vitam cum omnibus fortunis in integrum reſtituit; qui Templa, qui religionem adverſus nefarios Idolorum cultus ſartam tectamque ſervavit; qui contra impias inimicorum molitiones, contra diabolicas tyrannorum verſutias, contra improbam libidinem ac Lupanaria, fas, fidem, caſtitatem, univerſam Reip. incolumitatem integrā ac indelibatam defendit. Quod hanc ipſam animam tranquillè lubenteſque trahitis, quod ſuum quiſque larem familiarem cum benigno gaudio poſſidetis, quod inter blanda conjugum oſcula, inter amænos liberorum complexus jucundè hæreatis, huic Hodiernæ luci jure

merito-

Digitized by Google

meritoque acceptum referimus. Quod hoc ipſo momento divinæ orationis Suada in Deum ac fidem ſingulariè inflammati; quod ſalutaria de ſalute veſtra conſilia auribus animiſque imbibiſtis; quod fulminantes in hominum vitia facundiſſimas Theologorum linguas audiviſtis; quod fana & delubra, quod aræ & foci, omnia ſacro & ſolenni triumpho reſponderint, facit præſentis victoriæ magnitudo ac jucunditas. Tu mea dulcis ALCMARIA, ſi truci Hiſpanorum manu ac crudeli barbarie violata fuiſſes, ſi ſub jugum & carceres ignominiosè redacta, vah! quàm triſtem, quàm terricam rerum ubique faciem vidiſſemus. Omnes profectò, omnes aut horribili mortis genere jam dudum de medio ſublati, aut deploranda ſervitute oppreſſi, in ſitu ac ſquallore eheu! in tenebris clauſtriſque vinculorum funeſtum & lamentabilem vitæ curſum tranſigeremus. Nemo, qui Reip. clavum ſub Chriſtiani nominis authoritate moderaretur; nemo, qui leges propagandæ Libertatis, ſine capitis ſui diſcrimine, ſuſciperet; qui aut ſacra divini verbi myſteria ſine metu explicaret; nemo, qui in docenda Iuvẽtute provinciã capeſſeret, qui tenellos illos animos aliquo ſacrarũ artiũ liquore perfunderet. Omnia ſub profana Idololatria & flagitiis horrendum oppreſſa ac ſubmerſa jacerent. Iure igitur meritoque ſolennem inſtituis Triumphum, Tu mea dulcis ac inclyta ALCMARIA: quæ jam non amplius circum tua mænia volitantem in armis Tyrannum extimeſcis; non truces ardenteſque Hiſpanorum oculos cum formidine intueris. Nunc laxata tyrannide civitate, ſolutis Gigantea obſidione mœnibus, læta ovanſque incedis; deterſoque ſudore ac pulvere, tandem in laudes & trophæa victrix & animoſa inſurgis. Age, nunc veterum Romanorum more ſolennem triumphi diem annua feſtivitate & gratulationibus Populo præſcribite. Cum *Cn. Antonio*, Catilinæ victore; cum L. *Sylla*; cum *F. Camillo*;

cum

cum *Val. Publicola* communem Reip. fortunam lætiſſimis animis amplectimini. Sic olim de victis Hiſpanis, de ſubactis Gallis, de Alexandrinis, de Ponto & Africa *I. Cæſar*; de Cretenſibus *Metellus*; de Antiocho *Scipio Africanus*; de Liguribus *L. Æmylius*; de Sardis *L. Attilius Collatinus*; de fuſis Salentinis *Regulus*; de Sabinis *Menenius*; de Acrone *Romulus*, cum publica quadam ſolennitate, illuſtres apud omnem poſteritatem triumphos decrevêre. Si non, Clariſ. Cives, cum *Nerone*, prodigioſo Hermaphrodytarum invento ſuperbè victores inceditis; non cum *Alexandro Severo* in elephantis; cum *Heliogabalo* quaternis canibus, aut tygribus Capitolium conſcenditis; non cum *Seſoſtre* ducto quotannis per ſortem Reges ad currum agitis; aut cum *Auguſto* Cleopatræ imaginē; cum *Antonio* ſpecioſas mille virgines; cum *L. Lucullo* penè totidem roſtratas naves triumphali acclamatione in ſcenam producitis: Agite, inquam, pro tantæ Liberationis ac beneficiorum magnitudine, flexis in vota genubus manibuſque, Deo illi ſummo æternoque gratias ſemper dignas perſolvite.

ALCMARIA *æternùm ſpoliis incedis opimis,*
Et victrix tibi regna paras, fortemq́ Philippum
Nunc Batavis parêre facis. Sic latius urges
Imperium, comitante Deo, nomenq́ vetuſtis
Tranſcribis ſaclis, & partos Marte triumphos
Poſteritate leges. Tibi nunc ſacramus honores,
Annuaque Aonides celebrabunt feſta quotannis.
Non ſi Naſſovio *nova nunc Victoria plaudat,*
Nec Morinos viciſſe datum, nec Geldra ſubacta
Auriaco, ſpoliumq́ ſiat Duinkerka Batavis;
Nec Tarteſſiaco nobis de littore Mavors
Ingentes iterum exuvias promittat Iberi:
Sat fuerit celebrare tuas ALCMARIA *Lauros:*
Quas olim Fortuna dedit Virtuſq́ tuorum.
Cum parvâ defenſa manu, tam fortibus auſis
Albanas *domuiſti acies, animoque potentem*
Toledum *Rheni faſces ſubmittere ripis*

Feci-

Feciſti non fracta armis, non fracta periclis.
Vos acres præbete meis ſermonibus aures
Illuſtres Virtute Viri, qui Sceptra tenetis
Alcmariæ, *veneranda mea ſolatia Muſæ.*
Et Vos, qui Themidos Myſtarum Oracula doctis
Panditis eloquiis, ſeu ſacri dogmata verbi
Fatidici Vates lancem libratis ad æquam.
Tu quoque cum ſacrâ Muſarum pube Magiſter,
Aonii mecum pars & Collega Laboris.
Dicam acies pugnaſque truces: quas Marte ſecundo
Inſtituit Batavûm generoſus miles in armis
Manibus Alcmariæ, & maculatos ſanguine rivos
Auſonio. Vos nunc animos auramq́ benignam
Adſpirate mihi: Vatum quæ ſola voluptas,
Principibus placuiſſe Viris, laudemq́ mereri.

* Magna, *Audd.* magna ſanè ac periculoſa Civitatis noſtræ obſidio, infanda Civium calamitas & miſeria: quæ omnium domos menteſq; tanquam fatali quadam peſte invaſerat. Truculentiſſimus Mortalium tyrannus Hiſpanus, quo non ab inferis Medea, non Thyeſtes aliquis aut Cerberus diritate ſua magis formidandus; hic, inquam, quovis portento prodigioq; violentior. Vos vestraque omnia, totam cum ſuis fortunis atque incolis Alcmariam ſuos intra dentes ac venenati oris hiatum concluſerat. Nihil aliud ad Tartaream explendam ingluviem noctes dieſque allaborans, quàm coacta ad deditionem Civitate, Vos omnes in prædam ac rapinam converteret, ut Vxores Liberoſque veſtros partim inimico ferro de vita tolleret, partim fame ac inedia confectos turpiſſimè ad loca ſilentûm detruderet. Hoc Vos manebat, *boni Cives*, immane latrocinium; hoc loco Reip. ſtabat infelicitas. Cum in vicinas Hollandiæ civitates jugulando, diripiendo, occidendoque penè feſſus Dux Alba rabiem ſuam evomuerat, ipſam Nardenum in cinerem favillaſque redegerat, miſeram Zutphaniam tot Civium trucidatorum ſan-

* *Pars I. De Obſidione.*

guine

guine funeſtaverat, & hinc ad tertium in proximo lapidem Harlemū inaudita crudelitate ac tyrannide devaſtaverat, prô dolor! prima in ſpolium & pabulum Hiſpanicæ rapinæ notabatur oculis hęc ipſa, quam nunc, laus Deo, ſoſpites incolimus, Illuſtris Alcmaria. Nos, inquam, noſtra omnia, ut ne rimula uſquā, aut tranſitus aliquo pateret, Hiſpanorum ille exercitus arctiſſima obſidione circumvenerat. Verè intra ſacrum & ſaxum hærebamus, *ſpemque metumque inter dubii.* Aut parvâ & imbelli manu per denſiſſimas hoſtium catervas viam nobis facturi; aut omnes *pulchram per vulnera mortem* adituri. Augebat timorem tyranni perfidies, quādo inita cum oppidanis fœdera non ſanctè ſervaret, nulla cōmotus ratione aut oratione, hoc tanto minus à clade ac vaſtatione deſiſteret. Dicite, amabo, dicite: unde rebus in urbe afflictis aliquod præſidium? ubi conſilii uſquàm copia & auxilium? Præſidiariorum exiguus numerus, conſternati civium animi, virium Virorumque defectus. Aberat longè à caſtris *Auriacus*, cui nec ſatis fiduciæ ad laxandam obſidione civitatem, nec ſatis roboris ac momenti ad frangendas minuendaſq; Hiſpanorū ingentes copias. O triſtem atq; miſeram *Alcmariæ* faciem! O infelicem Reip. conditionem! Quoquò verſum oculos intenderes, ſive huc in Septentrionem, illuc in Meridiem, alibi in Orientem, iſtic in occidentem, omnia paſſim circumvallaverat Miles barbarus. Volitabat circū mœnia armatus eques, ordinabat caſtra decempeda, aciem & legiones diſtribuebat Centurio; ſuam ſe quiſq; in ſtationē ac cornua receperat. Hic è profundo vallū civitati & mœnibus obtendebatur, illic ducendis aggeribus, erigendiſque in altum propugnaculis aſſiduè fervebat opus; iſtic longo ordine machinæ bellicæ & prodigioſæ magnitudinis tormenta in clivum diſponebantur; alius enſem & clypeum humeris aptabat; ille telum & miſſile ferrum manibus vibrabat; hic in arenam & aciem furi-

furibundus ardebat. Nemo, qui ſuis partibus deerat, qui aut irritando furori moram, aut differendo bello ſpatium interponebat. Hoc unum omnes urgebant Hiſpani, ſub ſceleſtos ſuos ungues raperent floridam Alcmariam, illam intra ſuos dentes fruſtulatim diſcerperent. Quæ tibi tunc mens, ô *Civis*, cum tam crudele monſtrum in tua viſcera ac interitum vigilare videres? Cum tota Civitas ad incendium deſcripta; de Veſtra omnium nece & exitio cum ſe impiè jurejurando Hiſpanus obſtrinxiſſet. Quibus, eheu! tunc lacrymis, Vos ô funeſti incolæ, diffluxiſtis! Quæ ſuſpiria, quos ab imo pectore gemitus & ejulatus ad Deum ſuperoſque effudiſtis! ut tunc porrectas in cælum palmas cum priſca Eccleſia extuliſtis! Cum unica vice viginti maximis tormentis hoſtis intonuit, bis mille iſtorum ictibus mœnia tua percuſſit. Sed, noluit de Cælo Deus, animum deſponderes fortiſſima *Alcmaria*. Qui te tam triſti poſitam malorum confinio contra improbam Antichriſti tyrannidem ſpe nova ac incredibili fortitudine confirmavit. Qui Divinæ fiduciæ ſpiritus quando ſemel animum tuum inſedit, mox omnium miſeriarum oblita, forti animo adverſus terribilem Hiſpanum inſurrexiſti. Toties furorem illius armata manu repuliſti, in propugnaculis ſuis occidiſti, propriis denique caſtris victum invitumque exuiſti. Nullus hoſtium globus tam validè munitus, nullæ copiæ tam fortes aut formidoloſæ, nulla tam varia ardenſque pugna, quin tu inſurgeres audentior, in ferrum & ignes, ut in ludum & jocos magnanima & glorioſa exires. Dabat animum divina providentia, quando ſecundis auguriis cuncta proſperè evenirent; cum ipſis in Cælis Cynthia, præter ſolitũ naturæ curſum, tanto maturius ſuam tibi in tenebris lucem affunderet. Cum pauciſſimi tuorum militum in bello caderent, tam crebris tormentorum ictibus modo quinque aut ſex confectis, hoſtium verò copiæ magnam ubique ſtragem

gem paterentur. Memoranda illa ad portam *Friſiorum* Septentrionalem pugna, toties à *Toletano* Duce reſtaurata, toties novo milite viribuſque redintegrata: in qua tu perpetuò belli fortuna ſuperior, omnem Hiſpanorum molem à mænibus & civium cervicibus tam gloriosè quàm feliciter avertiſti. Non hic ſilentio prẹterire poſſum veſtram, *ô fortiſſimi Cives*, in vindicanda Reip. libertate inſignem magnanimitatem: quos non periculi magnitudo, non Italorum Maurorumque multitudo, non ipſe in mortem tetricus adſpectus à capitis funeſto diſcrimine propulſavit. Vnus idemque animus Civi, militi, in hoſte refellendo. Fuit penè ambitio Heroicis illis pectoribus primùm in hoſtem ire, primò pugnam capeſſere. Nihil probro injuriaque magis dignum, quàm de fuga cogitare, quàm de dedenda in hoſtem civitate vel tacitam ſuſpicionem moliri. Pedem nemo movit, niſi aut graviter vulneribus confoſſus, aut vitam ſimul cum ſanguine effunderet. Vos quoque, *Bellatrices Fœminæ, Illuſtres* ALCMARIÆ *Amazones*, non tela aut lana veſtram civitatem & ſpartam defendiſtis; ſed generoſis pectoribus virilem quoque animum induiſtis. Vt pulchrè Gradivi Martis opus procederet, & à Liberorum cervicibus parricidam Hiſpanum depelleretis, omnem profectò lapidem moviſtis. Quando ferire è longinquo hoſtem ægrè poſſetis, aut aptas jaculo manus præbere, tunc pugnantibus in vallo viris fortiter præliandi materiam ſubminiſtraſtis, aut ſaxis ligniſque aſſiduè congerendis occupatæ; aut ſulphuratis ignium contexendis globis jugiter intentæ. Quicquid ad depellendum hoſtem aliquid noxæ ſive moræ adferre potuit, ſtrenuò effeciſtis; ſæpè totos ferventibus aquis lebetes in hoſtem effudiſtis, ingentes truncos & ſaxa de mænibus devolviſtis, illitos pice ſevoque orbes conſeruiſtis. Vos cum Liberis veſtris, quando Viri in armis de vitâ periclitarentur, quando integros dies noctesq; in conti-

continua ſtatione ab hoſtibus detinerentur, vallorum ruinam veſtro opere fideliter reſarciviſtis; Omne ad perniciem inſtrumentum veſtris aut manibus induſtriè effectum, aut fortuitò in uſum repertum in tutelam & præſidium attuliſtis. Nulla de vobis conticeſcet ætas, *Vos ô Batavæ Viragines*: ſine quarum adjutrice manu & ſuppetiis, nunquam ad illud excelſæ dignitatis faſtigium noſtra hæc civitas perveniſſet. Quis, *Cl. Audd.* tot numerò pugnas, tot prælia, hic in noſtris commiſſa mœnibus, ullo unquam ſtylo aut eloquio adæquabit? Quoties, exaudito repentè Claſſico, bellum per intervalla atrociter recruduit! quoties in caſtris repetita per noctē ſigna! inſtauratæ acies, in mortem & vulnera crebrò evaginati enſes! Audiſſetis ſine intermiſſione perpetuas ſcloporum degrandinationes, aſſiduos tormentorum fragores, telorum ſtridores, tubarum clangores, circum galeam crepitantes ſagittas, equorum fremitus, ſtrepitus, crepitus vi & vulnere cadentium Hiſpanorum. Vidiſſetis veſtris oculis, ex pugnantium ſudore conflatas nebulas, ex morientium crebro anhelitu cælum ſolumque convolvi ac ſtupeſcere. O æterna belli laude dignam Alcmariam! nullâ unquam ſæculorum oblivione ex hominum animis exſtinguendam! Quæ adverſus capitalem inimicum Hiſpanum tam magnificè & animosè bellum expediviſti. Quæ tanto lubentius, pro avitâ Religione, pro lege, pro libertate mortem oppetere voluiſti, quantò tu avidius à perfidâ Iberorum tyrannide ad ſpolium & rapinam deſignata. Probo laudoque veſtram, *fortiſſimi Cives*, perpetuò in armis conſtantiam; quod nullo inſidæ pactionis objecto nomine in falſum fœdus & pacem iveritis. Sed maſcula animi Virtute innixi, contra truculentiſſimum utriuſque orbis tyrannum, haſtam nunquam de manibus depoſuiſtis. Qui cum fictâ ac perſonatâ fronte benignas de tradenda civitate leges offerrent, Vos animam pro Patria fortiter profun-

profundere maluiſtis, quàm inditam inſitamque Batavis à ſuis natalibus libertatem cum ignominioſæ ſervitutis titulo permutare. Scilicet in recente erat memoria, & poſitum adhuc ante oculos, quàm immani feritate, contra promiſſi ſanctionem, contra ſtabilitas fidei leges, contra humana & divina jura in Harlemum, & reliquas ſubactas tyrannide civitates, in jugulandis tollendiſque de medio innoxiis civibus, quàm, inquam, belluina & plus quàm barbara crudelitate eſſet uſus.

* Tandem verò, Tu mea dulcis ALCMARIA, poſt tam periculoſam, in tot atratos funeſtoſque dies, obſidionem, tandem, inquam de fuſis fugatiſque cum indelebili turpitudinis memoria hoſtibus, feliciter victoriam reportaſti. Sic omnibus caſtrorum ſoluta impedimentis, abjectoque Hiſpanicæ ſervitutis jugo, aras & focos ab omni clade & labe tutos impollutoſque conſervaſti. Tantùm fama & Virtute apud omnem poſteritatem commendatior, quantò magis periculorum oppreſſa magnitudine, adverſus immaniſſimum latronem Hiſpanum, tanti belli molem animosè fortiterque ſuſcepiſti. Tua eſt, *illuſtris Alcmaria* Fortitudo, quæ Tartaream Albani ſicam à piorum civium corporibus repulit; quæ vaſtationem à ſacris delubris, violationem à foro & legibus, cum immortali gloria profligavit. Tua eſt Virtus, quæ panicum terrorem hoſtibus injecit, illos in fugam & formidinem convertit. Tua eſt in conſerendis præliis vigilantia, in nocturno diurnoque opere, non fractus nec defatigatus ſpiritus, qui nobis Hodierno hoc die ex ipſis Leonum faucibus vitam, Civitatem, Conjuges, Liberoſque noſtros, tanquam ex communi quodam incendio in antiquam Libertatem reſtituit. Nunc liberè per urbem & mænia incedimus: quæ antea armatus miles tenebat; nunc pede libro per prata & pomæ-

* *Pars II. de Liberatione.*

Digitized by Google

rium vagamur, ubi nuper tentorium figebat atrox Bellona. Patet jam porta; quoquò nunc aditus, abitus, ſine periculo. Non pugnandi horas præſcribit claſſicum, non circum aures ſtrepunt litui, non paſſim glando ac tela volitant, non perforat horribilis vallum baliſta, non ariete crebro quatiuntur portæ. Nullus circum mænia armorum metus, nullus equitum peditumque in caſtris tumultus, non in pugnam diſponitur acies, non diſtribuuntur in cornua Legiones, non in cædem & ſanguinem vibratur haſta.

Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſq; repente refugit
HISPANUS. *Totis nunc alta ſilentia Campis,*
Nec ſtrepero Mars ore tonat Sua gaudia quiſque
Poſſidet in tuto: nullum diſcordia civem
In pugnam vallumq́ vocat. Proſcribitur omnis
Hinc latè rabies, longè ceſſère Latrones
Barbarici, noſtriſq́, quies ſub mænibus altis
Tuta frequenſq́ habitat. Miles, Dux, Fœmina, Cives
Hiſpanum domuêre ſimul, fregitq́ Philippum
Non armis aſſueta manus, belliq́ trophæa
Virgo tulit, quod ſera olim mirabitur ætas.
Libera ſic Maurûm jaculis ALCMARIA, *tandem*
Excuſſit cervice jugum; ſic Numine dextro
Vicimus ingentem felici Marte Tyrannum.

Siccine animo quis ferus aut ferreus, qui non tantæ Victoriæ magnitudinem aut tacita mentis cogitatione complectitur, aut ſolennis triumphi memoriam in publico theatro cum tripudiis teſtatur? Quanta eſt, *fortiſſimi Cives,* Victoria! quam veſtro nobis ſanguine peperiſtis. quanta in armis felicitas; quanta in animis voluptas, delectatio; in oculis gaudium & amænitas! Quàm multi, eheu! quondam in Belgio, nefariâ Iberorum carnificinâ in ſuis conſcientiis & corporibus miſerè experti! Alii bonis ſuis omnibus exuti, ad intolerabilē ſervitutem compulſi; plurimi ad deplorandas vitę anguſtias, ad mortem denique atrociſſimam per nefas

nefas & flagitium adducti: Vos, ab Hiſpanorum truci laniená feliciter liberati, nullum intra viſcera veſtra mucronem, nullam in conſcientiis vexationem aut torturam ſentiiſtis. Intueamini paullò ultra pomærium miſeram rurſus *Harlemũ*, evolvite fide dignam Hiſtoriam & annales. Quàm illic intra mænia & muros, diabolicam furoris ſui palæſtram aperuit trux Alba! Humani ſanguinis inundationem, ex cęſorum civium corporibus publicum penè mercatum inſtituit; ſacrilegiis, rapinis, omnia parricidiis, & plus quam Thyeſtæâ feritate contaminavit: Vos vita, religione, ſalute publica incolumi, in benignę pacis gremio civitatem & imperium retinuiſtis. Fingite impudentes Epicurei, fortuito quodam caſu, ſine provido Dei conſilio tantarum rerum momenta evenire; ne credite, divinum oculum ſingula ſuis ſpatiis determinare, humana omnia certa ſuæ divinitatis regula moderari: Nos omnia omnium rerum Authori Deo accepta tribuimus. Ille unus Fatorum neceſſitatem, bellorum auſpicia & eventus, regnorum ortus & occaſus, ſecunda, adverſa uno Providentię ſuæ oculo dirigit ac gubernat. Pudeat Vos turpes Lupercorum & Libertinorum ſodales, vim & majeſtatem Deo detrahere, ancipitem Martis aleam non divinis arbitriis, ſed profani commentitiique Numinis idolo adſcribere. Eſt ille de Cœlo DEVS, qui hanc noſtram *Alcmariam* deſperatis Reip. rebus, in tutum & tranquillum deduxit. Deus fractos civium animos incredibili fortitudine munivit, ſpe & fiducia vacillantem in bello manum divino robore armavit. Deus contra communem libertatis hoſtem nos ſuæ bonitatis clypeo ſartos tectoſque conſervavit. Ille à teneris Imperii initiis humilem deſpectumque Belgarum populum ad ſummi honoris faſtigium promovit; ille in mediis Sacroſancti Evangelii tenebris lucidiſſimam orthodoxæ religionis facem oſtendit. Quis, amabo, proximis hinc retrò annis tot ſpoliis ac triumphis

Provincias noſtras ornavit; quis potentiſſimi hoſtis munitiſſimas urbes noſtræ ditioni ſubjecit? nonne Deus? Quis ultra Braſiliani orbis remotum limitem, ultra Tagum & Gangem, ultra glacialem Oceanum & Garamantas, tam inſignibus victoriis nobilem *Batavorum* gentem cumulavit? nonne Deus? Quis fractis nuper luxatiſque in Belgio rebus opem tulit; cum ingentes barbarorum copiæ, tanquam turbulenti maris æſtus, potiorem *Velaviæ* partem inundarent; cum in Patriæ meditullio *Trajectum*, dominaque potentis Bataviæ *Amſtelodamum* evaginatos in ſuum jugulum gladios extimeſceret? nonne potens exercituum Deus? Peccamus, mei Belgæ, peccamus, ſi aut triumphali Principum dexteræ, aut humani ingenii conſiliis viribuſque tot tantaſque victorias adſcribimus, ſi in validis militum caſtris in fortibus civitatum præſidiis, in firmis munimentis arcibuſque fiduciam collocamus. Soli, ſoli, inquam, Deo tam opulentas terra marique victorias debemus: qui fortem Belgarum populum ſuâ toties manu defendit, nos ab exitio & vaſtitate toties in gloriam atque pacem repoſuit. Hic tota ſquallente ærumnis Rep. inſperato nos gaudio perfudit, profugium Hiſpanorum *Veſaliam*, non humanum facinus! ſub noſtram poteſtatem redegit, latibulum Antichriſtianæ crudelitatis *Buſcoducum*, Batavis in manum dedit, ipſam nuper *Bredam*, adeò dilectam ab hoſtibus amaſiam, priſco ſuo nitori & imperio reſtituit. Vah! improbam Tarpejæ Meretricis ſuperſtitionem: quæ falſa fictaque Numinis imaginatione ſibi proſperos ſemper bellorum exitus pollicetur. Vnus eſt in cælo Deus, qui belli paciſque arbiter, ſuis omnia conſiliis prudenter adminiſtrat. Si nunc, miſella Eccleſia, tot annorum exhauſta tyrannide, nuſquam tutam fidem, aut ullum requieſcendi locum invenias; ſi Chriſtianum nomen immanis Antichriſti crudelitas tam diriter perſequatur; tota Germania & uterque Palatinatus,

Digitized by Google

tus, antiqua Evangelii ſedes, omnes Europæ Provinciæ ſanguine & cædibus exhauſtæ, ſi barbarâ feritate in cinerem redacta Bohemia, direpta prædonum manibus Sileſia, vaſtata incendiis Moravia, Rhenus & Odera adhuc inſepulta cæſorum cadavera eructent, facit hoc non juſtus in Sionem Antiochi aut Zennacheribi furor; ſed divina vindexque Dei manus: qui ad purgandas expiandaſque Eccleſiæ maculas ſic ſalutaribus caſtigationum utitur remediis. Aderit læta illa dies, *immaniſſime Cæſar*, quando miſerorum Martyrum profuſum innocue ſanguinem centuplo cum fænore ac funere rependes.

Cum Te inviſa dies, & ineluctabile fatum
In pœnas mortemq́ue trahet: cum Numinis iræ
Et Chriſto devota cohors cælum omne ciebit
In bellum cladeſq́ue tuas, Gens impia ſcorti
Romulei: quando Babylonem deſtruet imâ
Radice, & ſeros acuet vindicta nepotes
In Maurûm librata neces, & nomina Magni
Cæſaris, Auſtriaciq́ue domos exoſa tyranni
Æquabit penitus terris, totamq́ue ruinis
Everſam gentem tenebris damnabit opacis.
Applaudet tandem felix victoria pennis,
Et Babylon ſua damna feret, Tarpeiaq́ue Roma
Corruet in caſum præceps. Cum Cæſare magno
Hiſpanus dabit ingentem pulchramq́ue ruinam.
Tu, dilecta Deo, plauſus teſtata ſecundos,
Abſterges triſtes lacrymas, nec jam amplius ullæ
Stillabunt oculis imbres. dabit Odera teſtem
Lætitia, Rhenuſq́ue fluet plaudentibus undis,
Non caſus memor antiqui. Crudelia quondam
Quæ paſſi, nova nunc animis ſolatia turbant.

Aderit fatalis, inquam, hora, *truculentiſſime Hiſpane*, quando exercitam in Belgio crudelitatem, tot civium trucidatorum accumulatas neces, tot civitatum impias devaſtationes, tot agrorum direptiones pari ſupplicio & ſanguine perſolves. It cælo clamor miſerè cadentium virorum, talionem

expetunt ferro jugulati infantes, cæſi in utero pupilli, in maritorum complexu necatæ conjuges. Fana & delubra ſceleſtiſſimi furoris te arguunt; violatæ leges, contaminata Veritas, polluta Fides tuum indies flagitium accuſant. Hæc urbis noſtræ mœnia, & majorum innocuus ſanguis in tui odium & vindictam jam dudum ſuas vires & iras effundunt. Nemo tam mente & memoria captus, qui non tacita cogitatione vim tibi intendat; nemo tam affectu præpoſtero, tam animo lenis placiduſque, qui non omnem ingenii ſui aculeum in tuæ tyrannidis exitium cum ſingulari voluptate convertat. Itane injuriarum in Belgio quiſquam non memor, qui primi fundatoris Imperii ſanctiſſimos AVRIACI manes non à tuis adhuc manibus repoſcat? Nulla, tyranne, tuum ſcelus obliterabit vetuſtas, nulla de tua turpitudine conticeſcet poſteritas; nulla ſic ingrata ætas, quæ illatam ſuis majoribus injuriam non bello armiſque fortiter ac glorioſe vindicabit. Vtinam! nunc ad *Britannum littus* tua, *Hiſpane*, in noſtram ruinam armata Claſſis, immiſſis de cælo ignibus, tota exureretur, omnia cædibus incendiiſque abſumerentur; hoc tam grande Imperii tui molimen terra marique funditus exſtirparetur. Agite, illuſtres mei *Belgæ*, nullum ad pugnam tempus intermittite, omnem moram ſegnitiemque profligate, ut glorioſè tanti Martis horrendum opus incepiſtis, pari conſtantia & fortitudine perficite. Tu inclyte geſtarum rerum gloria *Archithalaſſe*, qui par priſcis *Camillis Marcelliſque*. tua Virtute, perge omnem animo metum excludere, ne concidat generoſæ mentis ſpiritus; velis remiſque ad internecionem impudentiſſimi tyranni vim tuam intende. Intereſt Reipublicæ, intereſt communis omnium ſalutis, tantæ molis opus quàm ſedulò ocyſſimeque expediatur. Potens de cælo Deus, fortiſſime HARPERE tui Cuſtodiam ſuſcipiet: Tu virili animo hoſtem invade, Deus impiis Hiſpanorum conſiliis

frænum

frænum injiciet: Tu cum *Davide*, cum *Abrahamo*, cum *Gedeone*, contra Arabum, Aſſyriorum, Amalechitarum ingentes copias, etſi parva manu, fortiter in aciem deſcende. Non in militum numero, non in claſſium utriuſq; orbis magnitudine conſiſtit victoriæ eventus. Nonne ad Thermopilas Spartanorum *R. Leonidas* ſociis modo trecentis fortiſſimum Xerxis exercitum ſuſtinuit? Nonne *Cyrus*, cum adverſus Artaxerxem bellum gereret, quatuordecem Græcorum millibus centum Barbarorum millia ſuperavit? Nonne *Alexander Macedo*, millibus tantum quadraginta totum Orientem devicit? Non dicam de *Milthiade*, qui decem Athenienſium millibus, Perſarum ducenta millia ſubegit. Non de *Epaminondâ*, qui Lacedæmonios; de *Marcello*, de *Fabio*, qui Gallos; de *Lucullo*, qui Mithridatem; de *Mario*, qui Cymbros; de *Syracuſiis*, qui novem triremibus, centum & viginti Carthaginenſium naves deleverunt. Nondum memoria & annalibus excidit, quàm parva militum manu Magnum Hiſpaniarum Indorumque Regem toties victores *Belgæ* ſuperavimus. Teſtis eſt *Flandria*, teſtis *Brabantia*, teſtis hæc noſtra *Belgica*, quæ ſub divino *Naſſoviorum* auſpicio, à parvis deſpectiſque imperii principiis, ad hoc immenſum fortitudinis potentiæque robur ſuccrevit. Sic tu, mea dulcis atque inclyta ALCMARIA, contra omnem humanæ mentis opinionem, contra tyrannorum graviſſimam obſidionem, præter ſpem & exſpectationem firma immotaque conſiſtis. Non eſt, *Sacroſancta Dei Eccleſia*, ut, in tantis fatorum procellis ac tempeſtatibus, bonæ ſpei fiduciam penitus abjicias. Indulgeat paulum nefariis cupiditatibus Antichriſtiana improbitas; perſequatur igne ferroque afflictam Sionem tyrannus; non à rapinis, à ſtupris, ab adulteriis manum mentemque abſtineat; ſacra, profana, omnia uno modo adminiſtret. Eſt, ſpero, in propinquis ille dies, quando divini furoris poculum plenis faucibus ingur-

ingurgitabit; cum ſolenni tyrannorum ſupplicio, aut cum *Caligula* in ipſo feſtorum apparatu ſceleſtam animam eructabit; cum *Claudio* Imp. clandeſtina veneni potione de vita deturbabitur; aut cum Antonino *Caracallâ* inopino pugionis ictu interficietur; cum *Domitiano* à propriis miniſtris multis vulneribus trucidabitur; cum Phoca, cum *Nerone*, cum Maximino dignam ſuis ſceleribus mercedem perſolvet. Age, dilecta *Dei Sponſa Eccleſia*, indue Veritatis Fideique ſeptemplicem clypeum; nunquam deſperes nimium ſiniſtris. Erat ſanctiſſimi *Aſa* admonitio: *Domine non eſt apud te diſtantia, utrum in paucis an in pluribus auxilieris* Erat divina *Ioſaphati* vox: *Credite Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis*: Sic olim *Nehemias*: *fidite Deo, qui pugnabit pro vobis.* Inter flammam & ignes *Daniel*: *Deus noſter, quem colimus, poteſt nos eripere de camino ignis.*

Et nos, mei *Belgæ*, in mediis bellorum tumultibus, non libenter caput periclis objiciamus? Præſtat cum *Hieremia*, cum *Michea* in carcerem compingi; cum *Daniele* leonibus objici; cum *Uria* interfici; cum *Iſaaco* in victimam offerri; quàm de orthodoxâ Religione, de avitâ Batavorum libertate vel unum latè unguem decedere. At vereor, in immenſum noſtra ſe efferat erga Deum ſecuritas; nos ne parum religioſè pro Veritatis Fideique cauſa, contra fidelium ſectorem Antichriſtum bella liteſque adminiſtremus. Pudet dicere, pudet, quàm multa per Belgium noſtrum graſſetur impietas, quàm varia de religione, de Deo in Eccleſia diſſenſio; qui errores, quæ ſchiſmata pro ſuo jure ac licentia per omnes penè civium domos latiſſimè, inſtar veneni, proſerpant. Sanè, majoribus noſtris, quàm nepotibus, præſens hic dies tanto jucundior, quanto periculoſior. Non ita olim *Iudæi*, qui cum carcere Babylonicæ ſervitutis liberati, ante omnia, ſuæ gratitudinis templum Deo dedicarunt. Non ſic *Darius*, aut *Cyrus*, qui in ſtruendis ſacris Deo delubris, inſignem ſuæ pietatis memoriam

memoriam reliquerunt. Quâ divinâ præditus mente *Iuſtinianus* Imp. cum à Gothis Italiam, à Vandalis Africam vindicaſſet nobiliſſimum Sophiæ templum exſtruxit. Quid dicam de *Romanis*? qui, profligatis domitiſque externis hoſtibus, tot ſacrificiis & victimis Deos ſuos venerati. Pari religione Ægyptiorum rex *Seſoſtris*, qui, cum varias ſub imperium ſuum gentes redegiſſet, ſingulis Ægypti civitatibus ſacrum conſtituit. Eâdem pietate *Romulus*, qui, victo Acrone, Iovi Feretrio templum dicavit. Sic *Numa Pompilius* Deo Termino; *Servius Tullius* Deæ Fortunæ; *Cæſar Auguſtus* Iovi Tonanti ſacram ædem devovit. Multo magis nos, *Audd.* nos, inquam, tota noſtra *Alcmaria* memorem ſuæ liberationis Triumphum inſtituit. *Hodiernus hic dies*, quod vitam, quod religionem, quod Conjuges, Liberos, Nepotes, Fortunas, Tecta, Lares, omnia feliciter fortiterque de Hiſpanorum manibus & tyrannide extorſimus.

Tibi æternùm Opt. Max. in Cœlis DEVS, *pro tot tantiſque beneficiis, ampliſſima debetur gratia. Tibi uni, Soli Patrono & Servatori, rem, vitam, ſalutem noſtram adſcribimus. Tibi Belgium univerſum, pro Reip. incolumitate, pro defenſa, contra Eccleſiæ hoſtem Hiſpanum, Fide ac Religione, meritò gratiam perſolvit, Tibi inclyta* ALCMARIA; *Liberi noſtri ac Conjuges; Fana & Delubra; Curia, Forum, Ara & Foci; Tibi, inquam, potentiſſime* DEVS, *hæc mea Pubes, hoc ſacrum pulpitum hæc ſubſellia & parietes; manſura in omnem poſteritatem beneficiorum memoria, amore, fide, obſervantia, gratiſſimis ſeſe animis obſequiiſque ſempiternùm devinciunt. Faxis, æterne, Clementiſſime* DEVS, *tota Reſp. & Belgii ſalus diu feliciterque tua ope & auxilio in tuto ſubſiſtat; noſtra* ALCMARIA *Virtute, Pietate, Doctrina, opibus, potentia inſigniter ſemper floreat; Viri prudentes: quorum conſiliis & authoritate Imperium, Iuſtitia, Fas, Fides, Veritas, in* Curia, *in* Templis, *in Scholis, optimo jure gubernatur, diutiſſimè cum fama &* gloria

Digitized by Google

gloria ſuperſint. Donec nos mortali corporis ſervitio exſolu-
luti, cum CHRISTO *in cælis*

TRIVMPHEMVS.

D. I X. L.

GRATVLATIO,

In expugnatam Hiſpaniarum Claſſem. XXI. Oct. CIↃ IↃCXXXIX.

Ad Illuſtrem Senatum

ALCMARIENSEM.

HOc juvat, hæc feſſis bello ſolatia Belgis;
Hæc Patriæ ſperata ſalus: quando impia Claßis
Hiſpani, longùm furiis agitata per æquor,
Dulce meis Batavis ſpolium, flammam inter & ignes,
Mergitur Oceano. Herculeas trans ipſe Columnas
Exuitur Mavors armis, Maurûmq; poteſtas
In cladem ſtat prona ſuam. Tot Belga triumphos
Enumerat, Victor Populus: vaſtoq; profundo
Imperat, occiduo Albionum ſub littore gentis,
Teſte Deo Pelagi, & latè terraq; marique
Perpetuò Dictator agit. Tibi, Maxime TROMPI,
Flos Virtuſq; Virûm: Qui nunc manus altera Magni
AVRIACI, *magnum ſurget ſuper æthera nomen.*
Talibus auſpiciis. Tantis caligat in auſis
Mens Hominum. Batavûm pugnas animoſq; viriles
Ipſe ſtupet Nereus: Vitreos victoria Divos
Tangit, & audaces mirantur Numina Belgas.
Ergo animoſa phalanx, Tarteßia Claßis Iberi,
In noſtros armata rogos, ſervata Piorum.
In jugulum, toto Æthnæas bibit ore paludes.
Et pro ſanguineis epulis, pro cæde cruenta
Tot miſerûm; quas tunc animas ſitibunda petivit,

Lethi

Lethiferis jam turget aquis, ventremq́ ſaburrat
Gurgitis infandi dapibus, Sic dira tyrannis,
Sic tandem Alcmaria venturaq́ deſuper urbi
Barbaries eluſa Deo. Tibi, Rector Olympi,
Magne potenſque Deus, pro tanto munere grates
Solvimus, aeternùm dicturi Fata Nepotes.

F. I. N. I S.

VITTORIO EMANUELE ROMA BIBLIOTECA

Digitized by Google

NOMENCLATURA
EPISTOLARUM,
Ad Quos ſcripſit Author.

A.

ABrahamo de Brugge. 29
Adamo Foreſto. 13.40.73
Adriano Snellio. 209.221
Alberto Nyenhuis. 37.60.96.116.136
156.161.189.207.
Alexandro Neuhuſio. 67.194
Ahaſſuero à Vierſen, 25.114
Anchiſæ Andela, 108
Andreæ ab Heemſtra, 61
Antonio Hoptilla, 106.141.177.187.205.
212.
Antonio à Zyll, 49
Auguſt. Haringio, 138

B.

BErnhardo Schotano, 47.113
Bernhardo Fullenio, 39.81.110

C.

CAſpari Barlæo, 24.
Collegis ſuis Sch. Alcmarianæ, 228

D.

DIſcipulis ſuis, 192

E.

EDoni Neuhuſio, Parenti ſuo, 43.63.76.
98.119.131.143.146.155.159.169.
173.180.203

Elſe-

Elſeviria, 222

F.

FRiſiæ Ordd. 198
Friſiæ Ord. Novem-viris, 28

G.

GErardo Keth, 33.118.150
Georgio Paſori, 34.51.57.127.145
Gothofredo Iorritſma, 121
Guilielmo Staackmans, 50
Guilielmo van Veen, 48

H.

HErmanno Feykens, 166
Henrico à Dieſt, 140
Henrico Rhala, 198
Henrico Neuhuſio, 80.124.174.217
Henrico Hoefiſero, 94

I.

IAcobo à Teylingen, 15.115.200
Iacobo à Coren, 22
Iacobo Buttinga, 165
Iacobo Catzio, 33
Iacobo Hillebrandi, 171
Ioanni Anſta. 58
Ioh. de Sande Memoriæ, 23
Ioanni Clingbyl, 201
Ioanni Haſelbekio, 83
Ioanni Iaquet, 75
Ioanni Piccarto, 114.149.179.208.213.
215,200.
Ioanni Bogermanno, 157
In ejuſdem Reditum à Bibliorum verſione, 92

Ioanni

Digitized by Google

Ioanni Martinio, 144.172.178.185
Ioanni Ianſonio, 148
Ioanni Haſelbekio, 153
Ioan. & Alexandro Neuhuſiis, 137.183.186
Iſaaco Six, 100
Ioanni H. Gualthero, 35
Ioanni Anſta, 21.125
Ioanni Coccejo, 123
Ioanni à Nieuburch, 19
Ioanni de Sande, 23
Ioanni Foreſto, 256

L.

LAmberto Sicma, 111

M.

MAtthiæ ab Oudenſteyn, 17
Matthiæ Paſori, 56
Matthiæ à Vierſen, 77
Martino VVybingha, 78
Meinardo Ætſma, 44.71
Meinardo Schotano, 31.73.95.102.133.216
Magiſtratui Alcmarienſi, 111
Magiſtratui Harlingenſi, 41.70
Magiſtratui Leoverdienſi, 82

N.

NIcolao Schotano. 163.214

P.

PEtro Ennema, 182
Piboni Doma, 104

Richaro

R.

R*Ichæo Echtenio,* 65
Regnero Bogermanno. 59.91

T.

T*Homæ à Nyburch,* 225
Thomæ ab Egmond, 16
Tarquinio Popta. 139.176.224
Tzallingo ab Eyſinga. 129
Theodoro Saecbma. 93

V.

V*Ita Edonis Neuhuſii P.* 84

Z.

Z*Acchæo Venatori.* 170

Qui ad Authorem ſcripſere.

Bernardus Schotanus, 62
Caſpar Barlæus, 20
Edo Neuhuſius, 45.72.101.134.191.201
Georgius Paſor, 42.109
Ioannes Bogermannus, 103
Matthias Paſor, 192
Meinardus Schotanus. 50.211.219
ORATIO *de informanda Iuventute,* 229
ORATIO *Triumphalis.* 259.

Digitized by Google

Candide Lector,

Errata leviora candidè emenda ; & evidentiora ſic nota.

PAg. 25. lin. 5. poſt tetricas pone *leges*. p. 4-. in epiſt. lin. 19. pro veſter, *verò*. p. 45. pro ſolo, *ſole*. p. 47. lin. 1. *humanam*. p. 59. lin. 16. lege ex *Fratre Filius*. p. 71. lege adſudaſcit. p. 72. pro poſt lege *quod*. p. 86. lin. 3. lege gravioribus. p. 87. pro petiturque, lege *pedibuſque*. p. 163. pro Oſellum, lege *Ocellum*. ibid. pro Agathes *Achates*. p. 199. pro medicis *mediis*. p. 232. lege *quod ad* docentium. p. 254. lege *ex uberrimo fonte*. p. 256. lege pro orationem, *ovationem*. Vale Lector.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google